SC.SUP.22.P/3.

43
8 E
1

Digitized by Google

Aa 47

Digitized by Google

Digitized by Google

DE RITU VARIANDI CHORALE INDUMENTUM IN SOLLEMNITATE PASCHALI

Apud Clerum Baſilicarum Urbis
uſitato.

DISCEPTATIO EPISTOLARIS.

AUTHORE

PETRO MORETTO
Sacroſ. Baſilicæ B. MARIÆ trans Tyberim
CANONICO.

Accedit ejuſdem

SUPPLEMENTUM DISSERTATIONI

DE RITU OSTENSIONIS SACRAR. RELIQUIARUM
Evulgatæ Anno MDCCXXI.

ROMÆ
Ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXXII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

FR. JOSEPHO MARIÆ FONSECÆ AB EBORA

Ord. Minor. S. FRANCISCI, Sacr. Theol. Lectori Jubilato, Exminiſtro * Generali, J. U. Doctori, Sacrar. Congregationum Conſiſtorialis, & Viſitationis Apoſtolicæ Votanti, necnon Indicis, Indulgentiarum ac Reliquiarum, & Supremæ atque Univerſalis Inquiſitionis Conſultori, Epiſcoporum Examinatori, & a Sacra Regia Majeſtate JOHANNIS V. Invictiſſimi Portugalliæ Regis ad tractanda in Romana Curia negocia Deputato &c.

PETRUS MORETTUS

FELICITATEM NUMQUAM PERITURAM.

ROMANUS *paſchalis Ritus, qui nunc primùm in hac* Diſceptatione epiſtolari *elucidatur, olim ferè totius eccleſiaſtici Orbis uſu nobilis, Romæ ad noſtram ætatem intactè cuſtoditus, quum modò vix apud hanc Sacrorum arcem conſi-*

* Dum hæc Epiſtola ſub prœlo eſſet (videl. III. Kal. Jun.) electus eſt Commiſſarius Generalis in comitiis generalib. Ciſmontanæ Familiæ habitis apud Palat. Apoſt. Quirinale coram SS. D. N. CLEMENTE PP. XII.

Digitized by Google

ſtere ſe poſſe ſentiat, aſylum, & patrocinium certò reperturus convolat ſponte ſua in ſinum Tuum, VIR RELIGIOSISSIME. *Ut tantum audeat, tantum de Te ſibi polliceatur, cauſſa non ſolùm eſt ſumma illa cum incredibili humanitate, & ſuavitate morum conjuncta Pietas Tua ad juvandos omnes tam velox, tamque digna Alumno inſignioris Seraphicæ Familiæ, cui, contemptis lectiſſimis, quæ Te circumſtabant, ſeculi deliciis, nomen dediſti adoleſcentulus, & in qua tot doctrinæ, ac in obeundis primariis Miniſteriis dexteritatis teſtificationes vel in ipſo juventutis flore edidiſti: ſed gentilis Conditio Tua, collatumque Tibi nuperrimè præcipuæ Dignitatis ornamentum, plaudente Roma, ſibique gratulante, quod jam diu ante (quum ſcilicet in Te præclara cumulavit Curiæ ſuæ munia) qualis habendus eſſes non obſcurè demonſtrarit. Tu enim Luſitanæ inclytæ Gentis illuſtre germen es, quà nulla Romanorum Rituum amantior, obſervantiorque. Tu modò in Romana hac Aula negocia, & pia vota exequeris, ac promoves illius* FOR-

TIS-

TISSIMI, *ac* SAPIENTISSIMI REGIS, *qui noſtros adeò diligit, protegitque Ritus, ut nulli parcens ſumptui perſonare jubeat Romanis cantionibus, Romaniſque ornari uſibus, ac ceremoniis Auguſtale ipſum Palatium, Regiam Urbem, totamque propemodum Imperii ſui diffuſam a Solis Ortu ad Occaſum ditionem. Qua in re gloriam longè ſuperavit* REX MAXIMUS *Pippini* (1) *Caroli Magni, Sancii* (2) *& Alphonſi Regum, quos priſca ætas ob inductos, propagatoſve per Gallias, Germaniam, Hiſpaniaſque Romanos aliquot Ritus tantoperè commendavit. Complectere igitur,* VIR REVERENDISSIME, *ad Te meritò confugientem Ritum: tuere illum quoquomodo vales: & ab interitu fortiter vindica. Dum ipſe deprecari non deſinam Deum Opt. Max. ut Te diutiſſimè ſervet incolumem ad Eccleſiæ bonum, & Reipublicæ utilitatem.*

Romæ Idib. Aprilis ipſo S. Paſchatis die A. D. MDCCXXXII.

IM-

(1) Vide ll. Carolin. p. 132. & 133. l. 1. c. 6.
(2) Vide Regeſt. S. Gregor. VII. ep. 63. & 64. l. 1. ep. 18. l. 3. ep. 2. l. 9. &c. Vide & Roderic. Tolet. rer. Hiſpanic. l. 6. c. 26. & 27. &c.

IMPRIMATUR;

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Epiſcopus Bojanen. Vicesgerens.

APPROBATIONES

I.

Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Patris Domini

JOH. BAPTISTÆ GAMBERUCCI

Archiepiſcopi Amaſeni, SS. D. N. Papæ Prælati Domeſtici, Pontificio Solio Aſſiſtentis, in Utr. Signat. Referendarii, Apoſtolicis Ceremoniis Præfecti &c.

OPUSCULUM hoc *De Ritu variandi chorale indumentum in Sollemnitate Paſchali &c.* unacum SUPPLEMENTO DISSERTATIONI *De Ritu oſtenſionis Sacrar. Reliquiarum &c.* erudito calamo conſcriptum ut catholicæ fidei, boniſque moribus nihil injuriæ ſeu detrimenti: ita plurimum utilitatis, ac laudis eccleſiaſticarum rerum ſtudioſis, Authorique ſuo meritiſſimo indubiè credimus allaturum. Romæ VI. Februarii 1732.

J. b. Archiepiſcopus Amaſenus &c.

II.

Digitized by Google

II.

Reverendiſſimi Patris

D. CAJETANI MARIÆ MERATI

Cler. Regular. Sacræ Rituum Congregationis Conſultoris &c.

INhærens mandatis Rmi P. Joannis Benedicti Zuanelli Sac. Apoſt. Palatii Magiſtri non ſine magna animi voluptate perlegi DISCEPTATIONEM EPISTOLAREM *de Ritu variandi chorale indumentum in Sollemnitate Paſchali apud Clerum baſilicarum Urbis uſitato* à clariſſimo viro *Petro Moretto* ſacroſ. baſilicæ B. MARIÆ trans Tyberim Canonico elucubratam, cui annexum eſt SUPPLEMENTUM ſuæ eruditiſſimæ DISSERTATIONI *de Ritu oſtenſionis Sac. Reliquiarum* jam typis commiſſæ, & evulgatæ; cumque in tali opere diſcutiendo nihil offenderim, quod catholicæ fidei dogmatibus, Apoſtolicis conſtitutionibus, moribuſque chriſtianis adverſetur, ſed omnia præfati Auctoris ſanam doctrinam, & in ſacris ritibus, necnon in eccleſiaſtica hiſtoria eximiam eruditionem oſtendant, idcirco hunc ſuum laborem publica luce digniſſimum cenſeo.

Datum Romæ ex Ædibus S. Silveſtri in Quirinali hac die 8. Januarii anni 1732.

D. Cajetanus Maria Merati Cler. Reg. Sac. Rit. Congr. Conſultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

OPOR-

Oportet nos authoritati Patrum, conſuetudinique majorum uſque ad noſtrum tempus ... protelatæ, etiam non percepta ratione, concedere, eamque, ut antiquitùs tradita eſt, jugi obſervantia, ac reverentia cuſtodire.

Theonas Abbas apud Joh. Caſsianum collat.21. de remiſſione quinquageſimæ *cap.12. pag.596. oper. ejuſd. edit. rom. an.*1611.

Securius obſervatur quod provida antiquitas, & authoritas inſtituit, quam quod inconſiderata novitas, & infirmitas adinvenit.

Radulphus Tungrenſis de Canonum obſervantia *prop.x. apud collectionem Scriptorum de divinis off. Melchioris Hittorpii p.643. col.1. edit. rom. an.1591.*

BRE-

Digitized by Google

BREVIARIUM

Sequentis Diſceptationis.

	Proemium.	pagina 1
I.	*Exponitur Ritus, de quo agitur.*	3
II.	*Ritus iſte nudè expoſitus præſefert myſticam ſignificationem.*	4
III.	*Inſtitutus eſt ad ſignificandam paſchalis temporis lætitiam, ejuſque ſacramenta.*	5
IV.	*Patres monent lætandum, & gratulandum in Paſchate.*	ibid.
V.	*Quod etiam elicitur ex verbis, & Ritibus divinor. officior. temporis paſchalis.*	6
VI.	*Lætandum præcipuè ob ſacramenta, quæ continet idem tempus. Ea recenſentur. Celebramus tunc memoriam redemptionis noſtræ, Chriſti, ac noſtræ reſurrectionis, necnon ſollemnitatem baptiſmi.*	ibid.
VII.	*In Paſchate repræſentatur Chriſti, ac noſtra victoria, & triumphus.*	8
VIII.	*Et ſacrificium, convivium, ac nuptiæ cœleſtis Agni.*	9
IX.	*Quæ nihil aliud ſunt quàm repræſentatio æternæ gloriæ poſt tranſitum ex mæſtitia hujus vitæ, & regno carnis.*	11
X.	*Repræſentatur inſuper tempus tranſitus à culpis, & tenebris ad remiſſionem, & lumen gratiæ.*	ibid.
XI.	*Ac à ſervitute, & diffidiis ad libertatem, & pacem.*	12
XII.	*De antiqua Eccleſiæ conſuetudine celebrandi commune Sanctorum feſtum tempore paſcha-*	

pſcha-

Digitized by Google

paſchali. 13

XIII. *Eccleſia vult in Paſchate renovationem morum, & innocentiam. Probatur ex ejus verbis.* 15

XIV. *An aliqua ex his intelligi debeant de ſolis Neonatis. Horum ſollemnitas erat omnium fidelium ſollemnitas.* 16

XV. *Quod renovationem morum, & innocentiam per Paſcha velit Eccleſia, indicant plures ejuſdem conſuetudines, ac ritus.* 18

XVI. *Inter illos præclarior mos immutandi habitum Neophytorum, & Clericorum. Pauca de more Neophytorum.* 19

XVII. *Quem connexum dicimus cum ritu Clericorum.* 20

XVIII. *Mos Clericorum tum Græcæ, tum Latinæ Eccleſiæ genericè expenditur.* ibid.

XIX. *In ſabbato ſancto Clerici coadjutores miniſtri baptiſmatis apud Latinam Eccleſiam albis veſtibus induebantur.* 21

XX. *Hoc & dicendum de reliquis Clericis. Arguitur ex ordd. romanis.* ibid.

XXI. *Patres meminerunt albam, & candidam paſchalem veſtem Clericorum.* 22

XXII. *Hæc probabiliter linea erat.* ibid.

XXIII. *Sericas veſtes etiam geſtatas in ſollemnioribus Paſchæ actionibus non negandum.* 25

XXIV. *Candidæ veſtes ſignificandis gaudiis, & ſacramentis paſchal. aptiſſimæ. Significant innocentiam, & puritatem.* ibid.

XXV. *Per lineam albam paſchalem deſignatur munditiès poſt tribulationem.* 26

XXVI. *Ea congruit gloriæ, & beatitudini.* 27

XXVII. *Dominationi ſpiritus.* 28

XXVIII.

XXVIII. *Remiſſionis, & luminis ſeu gratiæ tempori.* ibid.
XXIX. *Tempori libertatis, & pacis.* 29
XXX. *Etiam convivio, nuptiis, & ſacrificio Agni.* ibid.
XXXI. *Necnon victoriæ, ac triumpho Chriſti, & fidelium.* 30
XXXII. *Veſtis alba lætantium, & gratulantium propria.* 31
XXXIII. *Decet in Paſchate ob imitationem Angeli ſtantis ad ſepulchrum Domini.* 32
XXXIV. *Duo monita in dictorum intellectum, & explanationem.* ibid.
XXXV. *Myſterium paſchale de exuendo veteri homine aptiſſimè ſignificatur per depoſitionem veteris habitus.* 34
XXXVI. *Et myſterium tranſitus à luctuoſo tempore ad lætiſſimum, inſpecta conditione habitus, qui deferebatur olim, & nunc defertur in baſilicis.* 35
XXXVII. *Per colorem obſcurum, & lanam innuit Eccleſia tempus minùs lætum, & luctuoſum, teſtibus conſuetudinibus romanor. Pontiff. & Cardd.* 36
XXXVIII. *Etiam Epiſcoporum.* 38
XXXIX. *Et Clericorum inferiorum. De Monachis primò loquimur.* ibid.
XL. *De Clericis Græcis.* 39
XLI. *De Latinis, præcipuè Canonicis.* 40
XLII. *Quæritur quando incipiant, deſinantque tempora lætitiæ paſchalis, & ante-paſchalis mæſtitiæ. Utrum lætitiæ paſchalis initium ſit poſt horam tertiam, aut ad miſſam ſabbathi ſanctioris.* 41
XLIII. *Vel ad hymnum angelicum.* 42

XLIV. *Feſtum, & gaudium paſchale incipit à 1. Alleluja miſſæ ſabbathi s.* 43
XLV. *Id verò non efficit, ut ſupra notata momenta temporis dici non poſſint aliquomodo initia paſchalis gaudii.* 45
XLVI. *Quamdiù perſeveret paſchale gaudium.* 46
XLVII. *Tempus mæſtitiæ totum illud eſt, quod præcedit Paſcha.* 47
XLVIII. *De intervallo à Pentecoſte ad menſem Novembris.* ibid.
XLIX. *A menſe Novembri ad tempus Adventus.* 48
L. *Ab Adventu ad Natale Domini.* ibid.
LI. *A Natali ad Septuageſimam.* 49
LII. *A Septuageſima ad Paſcha.* ibid.
LIII. *Colligitur ex omnibus dictis ritum noſtrum verè myſticum eſſe; quod inſuper probatur ab authoritate Pontificum, & Scriptorum ritualium.* 50
LIV. *Colligitur etiam vetuſtiſſimum eſſe, & communem fuiſſe olim in Eccleſia ſaltem occidentali, licet id aliundè probetur. Et quidem ex uſibus papalibus.* 52
LV. *Ex legibus Canonicorum regular.* ibid.
LVI. *Uſibus Fratrum Ord. Prædic. ab iiſdem veroſimiliter derivantibus.* 53
LVII. *Conſuetudine communi Clericis ſecularibus notata per authores, præſertim rituales.* 54
LVIII. *Et ab exemplis plurium Collegiorum Canonicorum ſecularium. In Italia vigebat uſus noſter.* ibid.
LIX. *In Galliis.* 55
LX. *Belgio, & Germania.* 57
LXI. *Ac in Britannia majori.* 58
LXII. *Num aliquod collegium Canonicorum extra Urbem ſervaverit ad noſtra tempora priſcam*

con-

conſuetudinem. 59
LXIII. *Ritus noſter eſt ex ritibus palam approbatis ab Eccleſia.* 60.
LXIV. *Ob id ceteraque perpenſa cuſtodiri debet intacta ejus obſervantia.* 61
LXV. *Fundamenta ſententiæ oppoſitæ.* 62
LXVI. *Myſtica pleraque in eccleſiaſticis inſtitutis, præcipuè ſollemnitatis paſchalis.* 63
LXVII. *Ritus noſter non eſt levis. Quodſi ſecùs: cavendum ne ſubvertatur.* 64
LXVIII. *Turpe id agere ob commodum Clericorum. Ejuſmodi commoditas exitialis pleriſque ritibus.* 66
LXIX. *Licet habitus Cleri baſilicarum ſit recentioris conceſſionis, ritus noſter apud illas perantiquus eſſe jure dicitur.* 68
LXX. *Habitus, quo utebantur baſilicarii ante recentiùs conceſſum, ab hoc leviſſimè differebat, & uti nunc deponebatur, vel aſſumebatur. Verba conſtitutionum Vaticanar. nuperas conceſſiones præcedentium.* 69
LXXI. *Et conſtitutionum eccleſiæ Lateranenſis.* 70
LXXII. *Iiſdem collatis, præfatus habitus qui, qualiſque eſſet exponitur.* 71
LXXIII. *Cappa recentior comparatur cum præcedenti.* 72
LXXIV. *Sequitur comparatio veſtium linearum.* 73
LXXV. *An Canonici baſilicarum tempore paſchali geſtarent duplicem lineam albam ante Nicolaum V.* 75
LXXVI. *Quod certum, ritus, de quo agimus, nunquam intermiſſus eſt in baſilicis.* 77
LXXVII. *Monachi authores feruntur alicujus diverſitatis in uſu cappæ. An authores cappæ ætatis mediæ.* 78

LXXVIII.

LXXVIII. *Certiores authores diverſitatis veſtium canonicalium, aliarumque in baſilicis habendi ſunt Canonici regulares.* ibid.
LXXIX. *De almuciis, aliiſque pelliceis tegminibus id præcipuè intelligendum.* 79
LXXX. *Ea ad arcendum frigus ſingulariùs inſtituta.* 80
LXXXI. *Non hinc tamen inferendum cappas, & lineas cottas adhiberi poſſe prout æſtatis, & hyemis aſperitas poſtulaverit.* 81
LXXXII. *Probatur ex aliis uſibus harum veſtium in rom. Eccleſia. Canonici baſilicarum non ubique Romæ deferre poſſunt cappam, quum ejus delatio juriſdictionem importet.* 82
LXXXIII. *Etiam hyeme ſæviente extra eccleſiam propriam ſolis lineis utuntur.* 83
LXXXIV. *Occurrimus exemplis, quæ adversùs dicta opponi poſſunt.* 84
LXXXV. *Propter frigus delata aliquando cappa extra proprias eccleſias, ex indulto tamen ſpeciali rom. Pontificis.* 86
LXXXVI. *Collato æſtatis initio cum momento variationis noſtræ paſchalis, certum ſit hanc nihil habere commune cum æſtivis, & hyemalibus aeris viciſſitudinibus.* 87
LXXXVII. *Habitus aſſumptus in Paſchate dici poteſt æſtivus ob ejus recentem uſum tota æſtate.* ibid.
LXXXVIII. *Et ob feſtivitatem Paſchatis, quæ inter æſtivas ab Eccleſia recenſebatur.* 88
LXXXIX. *Habitus, qui deponitur, dici poteſt hyemalis.* 89
XC. *Explicantur hinc Authores aliquot, & authentica quædam documenta.* ibid.
XCI. *Grancolaſii locus pro adverſariis militans, ejuſque authoritas breviter diſcutitur.* 91
XCII.

XCII. *Ceremoniale Epiſcoporum minimè favet opinioni adverſariorum.* 94

XCIII. *Non jubet variationem habitus diverſam à noſtra conſuetudine.* 95

XCIV. *Non tollit Ceremoniale laudabiles & vetuſtiſſimas conſuetudines.* 96

XCV. *Et Pontifices, edito romano, permiſerunt peculiaria Ceremonialia, inter quæ Vaticanum referens ritum noſtrum.* ibid.

XCVI. *Si qua libertas in variatione habitus inſinuatur à Ceremoniali, hæc in romanis baſilicis pendet à placito romani Pontificis, quod difficillimè impetrabitur.* 97

XCVII. *Uſus Cappellæ Pontificiæ confirmant potiùs ritum noſtrum. De uſibus vetuſtioribus, & mediæ ætatis.* 98

XCVIII. *Fit nunc ſabbato ſancto mutatio habitus in Cappella PP.* ibid.

XCIX. *Mutatio pelliculàrum nunc eſt arbitraria in Cappella PP.* 100

C. *Olim & eadem compleri debebat ſub Paſchate.* ibid.

CI. *Quando variari cœperit ab hoc inſtituto.* ibid.

CII. *Et quare.* 101

CIII. *Concordiam temporum mutationis habitus inter Ordines Cappellæ, & alios Clericos aliqua Scriptorum teſtimonia notant.* ibid.

CIV. *Diſcordantibus etiam uſibus baſilicarum, & Pontificiæ Cappellæ, nihil debilitaretur opinio noſtra.* 103

Concluſio. 104

ADDENDA.

Pag. 47. *verſu* 35. *poſt* reliquo *adde* [certè per totum Novembrem]
Pag. 66. *verſu* 27. *poſt* Eccleſiæ *adde* , qui & in ejuſdem archivo , alibique aſſervatur
Pag. 98. *verſu* 11. *poſt* abhorret . *adde* . Quam proprius ſit Romani Pontificis , & Apoſtolicæ Sedis amor vetera inſtituta ſervandi lucidiſſimè oſtendit nota epiſtola Zoſimi PP. qua legitur : *Apud nos inconvulſis radicibus vivit antiquitas , cui ſtatuta Patrum ſanxere reverentiam* .

CORRIGENDA.

Pagina	*verſu*	*legitur*	*corrige*
10	22	ſit	ſit
19	16	XCVII.	XCVIII.
23	32	*alba*	*albi*
	34	illam	illum
37	29	C.	CI.
44	29	XCIV.	XCV.
45	34	XCVI.	XVII.
46	25	vetere-	veteres
50	16	eſi	eſt
51	14	LXXVI.	LXXI.
52	27	XCVI.	XCVII.
63	29	quæ	quas
66	18	diſſuetudinem	deſuetudinem
92	10 *in nota*	ſolet	ſolent
96	12	quem	qui

Pag. 82. *ver.* 18. *poſt* collegiatarum *dele punctum*

Cetera corriget amicus Lector .

DISCE-

DISCEPTATIO EPISTOLARIS.

P. MORETTUS

R. * BINETTO S.

ACcepi humaniſſimas literas tuas, RAIMUNDE AMICORUM OPTIME, & benevolentiæ tuæ in me teſtes, & meæ in Te obſervantiæ divulgandæ cauſſas. Exquiris ut ſuper eccleſiaſtico ritu aperiam opinionem meam: ſuper illo ſcilicet, quo per Clerum baſilicarum Urbis variari videmus habitum choralem, ineunte paſchali tempore: num ipſe aliquam in illo contineri myſticam ſignificationem, ſive talem reputem, qui pro libito alterari non debeat; vel contra ſentiam. Quandoquidem dicis acerrimam diſputationem enatam inter eruditos nonnullos, quibuſcum apud Tuſculanam villulam diverſaris; dum illorum quidam meminiſſet in aliquibus ex primariis baſilicis, veluti conſpiratione facta, morem vetuſtum, ac ad ea tempora ſervatum accuratiſſimè, renitentibus incaſsùm ſenioribus, fuiſſe nuperis annis ſub- Proemium.

A ver-

* Hic olim Ven. Card. Thomaſii cubiculo præfectus, nunc ſacroſ. tranſtyberinæ baſilicæ Canonicus &c.

verſum ; aliis hanc agendi libertatem reprobantibus, collaudantibus aliis & non uno argumento propugnantibus. Obſequor igitur juſſis tuis, non tamen omninò intrepidus. Te enim alloquor, quem pluries audivi acutè non minùs quam ſolidè circa reconditiores eccleſiaſticarum rerum quæſtiones differentem, & cujus perſpexi peritiam ſacrorum rituum, eorum præſertim, quos ratio noſtri Ordinis poſtulet aliquando ad praxin revocari. Fuit hic Tibi maxima ex parte fructus invidendæ opportunitatis fruendi familiaribus aſſiduis colloquiis Viri ſummi & venerabilis Joſephi Mariæ Cardinalis Thomasii, quo vix ullum coluit umquam Roma, & literarius orbis in re liturgica doctiorem. Illum ſcio à Te frequentiſſimè interrogatum ſuper arduis non ſolùm, ſed & minimis circa eamdem germinantibus difficultatibus. Scio Te illius ore apprehendiſſe quod ſcripto docuerat p. 1. præfationis ad antiphonale & reſponſoriale rom. Eccleſiæ illis verbis: *Sicuti religio poſtulat, ut ſancta ſanctè curentur: ita prudentia docet, etiam intelligenter agantur.* Jam verò proponam opinionem meam paucis [ſi plurima conſideres quæ dici queunt] expedito ſermone, conſultis tantùm excerptis meis, revolutaque perexigua domeſticæ bibliothecæ ſupellectile. Non Te latet præ viſus hebetudine ad improbos pro libito labores me ampliùs aggredi non poſſe. Quod habeo Tibi do: & primò ritum ipſum exponam.

* * * *
* * *
* *
*

I. Apud

I. APud baſilicas Urbis Patriarchales Lateranenſem, Vaticanam, Liberianam; ac duas inſignes videlicet S. Mariæ tranſtyberim, & S. Laurentii in Damaſo Canonici in choralibus officiis uti ſolent aliquando lineis candidiſque veſtibus nuncupatis rocchetto, & ſuperpelliceo ſeu cotta: aliquando cappa lanea coloris violacei eminentiori parte pellibus armellinis circumornata ſuper rocchetto, Beneficiatis,& Clericis, ac etiam aliquibus Cappellanis induentibus aut cottam tantùm, aut cappam cum pellibus cinericeis ſuperpoſitam rocchetto manicis deſtituto. Primum genus indumenti ritu præcipuo, de quo nos hìc diſceptare intendimus, aſſumitur in Sabbatho ſanctioris hebdomadis. Nam ubi inter Miſſarum ſollemnia talis diei ab ore Epiſcopi ſeu Presbyteri Canonici celebrantis intonuit vox *Alleluja*, quod fit cantato hymno angelico, & lecta perbrevi Epiſtola, vel ex utroque ſedilium cornu (qui mos ſervatur in baſilica S. M. tranſtyb.) princeps quilibet ſingulorum ordinum Cleri: vel quotquot (hoc autem eſt inſtitutum Vaticanum) nobiliorem ea hebdomade chori partem occupant: vel plures (& id conſuetudo fert eccleſiæ Lateranenſis) ex omnibus Canonicis, Beneficiatis, & Clericis conſiſtentibus in una tantum chori ala, dum promovendi ad ordines aliam tenent, pergunt ad ſacrarium; ex eoque revertuntur poſt depoſitas violaceas laneaſque candidis lineiſque veſtibus ſpectabiles eas dimiſſuri in pervigilio ſollemnitatis omnium Sanctorum, quo,nulla præeunte ceremonia, cappas iterum accipiunt in ſacrario ante veſperas. Prioribus ad chorum reverſis, idipſum reliqui ordinatè exequuntur, interim ad commodum actionis protrahentibus Cantoribus concentum vocis *Alleluja* & verſiculorum ſequentium, quos *gradales* appellant. Hic ritus jam in-

Exponitur Ritus, de quo agitur.

inviolabilis in ſingulis baſilicis. Hæc praxis * ejuſdem communior. Quæ negaverit unicè, qui fidem negare paratus fuerit innumeris teſtibus oculatis, & aliquarum baſilicarum inferiùs allegandis ceremonialibus & conſtitutionibus non ſolùm, ſed omnium tabellis hebdomadalibus, ac ordinibus ſeu Kalendariis divinorum officiorum impreſſis manuue exaratis ante conſuetudinis corruptelam ſumma conſenſione inter agenda ſabbathi propè Paſcha notantibus *ad primum* Alleluja *deponuntur Cappæ* abſque formula, *ſi placuerit*, qua nunc augeri perſpicimus ordines officii eccleſiæ Lateranenſis. Vide vulgatos pro uſu annorum 1728. 1729. & 1730. Typis Bernabò, ſimulque memora quæ de accretionibus ejuſmodi ſeu novis aſſumentis libellorum ceremonialium ſcitè tradidit, ſubmonuitque eruditus Dominicus Georgius in italico opuſculo de Sacris veſtibus romani Pontificis violaceis ac nigris Cap. XVII. pag. 41. & 42.

Ritus iſte nudè expoſitus præfefert myſticam ſignificationem.

II. Expoſita ritus ſumma quid ingenue de illo ſentiam nunc accipe. Sanè ſimplex ejuſdem deſcriptio mihi ſatis eſt ut opiner non ſine aliqua præcipua myſticaque ſignificatione inſtitutum juxta laudabilem ſtylum S. R. E. qua nulla feracior umquam & ingenioſior ad arcana exprimenda ſuis ritibus, ſicuti obſervamus diffuſius in tractatione de ritu Presbyterii propediem edenda Parte I. Sect. I. §. 2. Cur enim mutatio habitus in Sabbatho Sancto? Cur inter ſollemnia Miſſarum? Cur ad primum *Alleluja*? Cur dimiſſis laneis violaceiſque togis candidiſſima indumen-

* Diverſitatem aliquam quoad praxim adverti apud Clerum baſilicæ liberianæ. Canonici ceterique deponunt Cappas *ad* I. *Alleluja* non diſcedentes è choro, quum iiſdem lineę afferantur per miniſtros eccleſiæ. Hic autem mos (qualiſcumque ſit) & antiquo forſan, & vigenti etiamnum alicubi exemplo ſeipſum tueri poteſt. v. hìc num. LXI. & XCVII.

menta ſumuntur? Num tot circumſtantiæ inanes, & caſu natæ? Quicquid volunt credant alii: mihi difficillimum captu videtur eaſdem concipere omni myſtica ſignificatione vacuas.

III. Ad quid ergo, inquies, inſtitutas cenſes? quoties ipſe Patrum audio voces, meditorque piiſſimas preces, & ritus, quibus Eccleſia ferè ab ipſis incunabulis uſa eſt pro celebratione ſollemnitatis paſchalis, quæ ob amplitudinem ſuam *feſtivitas feſtivitatum*, & *ſollemnitas ſollemnitatum* à S. Gregorio Nazianzeno in orat. de Paſchate, S. Gregorio M. Homil.22. in Evangel. à Scriptoribus romani Martyrologii &c. appellari meruit, aliiſque extolli præconiis reperiendis præſertim apud opus aureum de veteribus Eccl. ritibus Gabriel. Albaſpinæi lib.1. *obſervat.* xv. tomum iv. de vitis SS. & feſtis gallice ſcriptis per Hadrianum Bailletum ſub tit. *de feſto Paſchatis* col.2. edit.2. §.2. in *hiſtoria feſti* num.vii. &c.ſpiritum ejuſdem fuiſſe cognoſco, ut ad lætitiam excitentur fideles, ſimulque concipiant lætari ſeſe oportere propter mirabilia ſacramenta, quæ tunc repræſentantur. Hanc lætitiam, hæc ſacramenta in ritu, de quo agitur, opinor exprimi pulcherrimè & ſignificari. Inſtitutus eſt ad ſignificandam paſchalis temporis lætitiam, ejuſque Sacramenta.

IV. Superfluum reputo agglomerare hic veterum Patrum teſtimonia, per quæ annuntiatur lætandum nobis & exultandum in Paſchate. Id reſonant omnium tractatus habiti de hac celeberrima feſtivitate. Vide, omiſſis aliis, to.vi. biblioth. Patrum Lugdunenſis p.26. col.1. Homiliam iii. S. Maximi Taurinenſis *de Paſchate*. Tota eſt in hac lætitia & gratulatione communi annuncianda, atque ita exorditur: *Exultandum nobis eſt in hac die, quam fecit Dominus, continuata lætitia, & in ejus feſtivitate jugi gloria gratulandum*. Sanctos lætitiæ dies vocat paſchale tempus & feſtum Aſcenſionis beatiſs. Leo Magnus Serm. Patres monent lætandum & gratulandum in Paſchate.

de jejunio Pentecoſtes Cap. 3. Nec diſſimiliter indicatur per S. Hieronymum loco inferiùs citando.

Quod etiam elicitur ex verbis & ritibus divinor. officior. temporis paſchalis.

V. Quamquam hujuſmodi lætitiam abundè nobis innuunt precationes & ritus divinorum officiorum, quibus exequimur paſchale feſtum. Quid ſibi vult Eccleſia quum vetat paſchalibus diebus proſterni corpora, genua flecti: nec præcipit jejunium? His de rebus legendi Patres Concilii Bracarenſis celebrati an.572. Can.LVIII. to.V. Concil. Labb. p.912. Tertullianus de corona milit. cap.1. S. Epiphanius in expoſit. fidei cathol.num.22.&c. Quid ſibi volunt repetitum toties *Alleluja*, quod ad *gaudium & laudem* pertinere ait Amalarius Cap.XLVIII. lib.IV. divinor. off. in ſupplemento vulgato per Mabillonium to.1. veter. analector. & verba pſalmi 117. *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea?* Quid ſibi volunt introitus Sabbathi in albis deſumptus e pſalmo 104. *eduxit Dominus populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia*: ac hymnus matutinalis temporis paſchalis ex veteri lectione apud hymnarium Card. Thomaſii p.31.

Aurora lucis rutilat:
Cælum laudibus intonat:
Mundus exultans jubilat &c.

Ex noviſſima lectione, qua utimur ad laudes?

Aurora Cælum purpurat.
Æther reſultat laudibus:
Mundus triumphans jubilat &c.

Orationes & preces hujus temporis ubique clamant gaudia & lætitiam. Conſulatur orationale laudati Thomaſii à pag.16. ad 18. Sed in perſpicuis tædet ulterius immorari.

Lętandum præcipue ob Sacramenta, quæ continet idem

VI. Haud minùs perſpicuum quare lætandum. *In diebus* [paſchalibus] *gaudium*, inquiunt Patres Concilii Bracarenſis loc. cit. *reſurrectionis Domini* ce-

celebramus. At ejuſmodi gaudii cauſſa ſunt ſacramenta ſub paſchali tempore contenta. *Reſurrectio Domini noſtri, ſicut ingentia beneficia: ita in ſe magna continet Sacramenta*, ait Euſebius Gallicanus Epiſcopus Homil. x. *de Paſchate* p. 641. col. 1. allegati to. vi. Biblioth. PP. Magnum ſacramentum illud eſt, quod ſimul eſt magnum beneficium, reſurrectio noſtra cum Chriſto. Celebramus uno tempore Domini reſurrectionem, ac noſtram. Propterea S. Maximus inquit cit. Homil. *lætemur in Chriſti reſurrectionis die. Communis omnium, communis eſt noſtra lætitia; communis plane; quia omnes illo ſurgente ſurreximus*. Idem innuebat S. Hieronymus in proemio Paullinæ epiſtolæ ad Epheſios ſcribens: *Permanſit autem Paullus uſque ad Pentecoſten tempus lætitiæ atque victoriæ, quo nec genua flectimus, nec curvamur in terram; ſed cum Domino ſurgentes ad regnum Cælorum ſuſtollimur*. Non hoc tamen unicum ſacramentum & lætitiæ ſtimulus. Memoriam redemptionis noſtræ per paſſionem Chriſti comparatæ recolimus etiam in Paſchate. Utrumque myſterium ſubobſcure notarunt verſiculi, qui alicubi cantabantur in Eccleſia, ut colligitur ex reſponſoriali Card. Thomaſii pag. 298.

Hæc eſt alma dies, in qua ſpoliatur Avernus:
Et ſurrexit homo de S. exultate redempti.

Sed audiamus Rupertum Tuitienſem clare tum allata ſacramenta & cauſſas lætitiæ paſchalis commemorantem, tum aliam addentem, ſcil. ſollemnitatem baptiſmi. *Multi ſolùm hoc in illa reſpiciunt* [ita Rupertus quærens *quot vel quibus ex cauſſis Paſchæ ſollemnitas tam illuſtris, tamque celebris habeatur* cap. 26. libri vi. de divin. officiis] *quod in prima ſabbathi reſurrexit Dominus; unde & dies reſurrectionis Dominicæ appellatur. Magna plane ſollemnitatis & lætitiæ cordis noſtri materia; quia dum illo reſurgente reſurrectio-*

tempus. Ea recenſentur. Celebramus tunc memoriam redemptionis noſtræ, Chriſti ac noſtræ reſurrectionis, nec non ſollemnitatem baptiſmi.

nem

nem mortuorum eſſe credimus, nos quoque reſurrecturos eſſe ſperantes jure gaudemus. Verùm in hujus contemplatione ſollemnitatis nunquam illud gaudium memoriæ noſtræ debet præterire oculum de noſtrarum redemptione animarum, quod in hanc diem dilatum eſt à feria VI. *quia per Crucem, & Sanguinem ſuum Salvator noſter illam operatus eſt. Hæc ſunt enim feſta paſchalia, in quibus verus ille agnus occiditur ... Paſcha quippe noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Duæ ſunt iſtæ paſchalis magnæ & innumerabiles cauſſæ feſtivitatis. Redemptio animarum, quæ die Paraſceves morte Chriſti parta eſt: et reſurrectio corporum, quæ prima ſabbathi Chriſto reſurgente data, atque confirmata eſt. Additur his tertia neceſſaria baptiſmatis ſollemnitas omnem nobis illarum conferens utilitatem, vel fructum, quæ pro eo quod ab illis, totumque ſuæ rationis ſumpſit ſacramentum rectè in iiſdem paſchalibus gaudiis addita eſt.*

In Paſchate repræſentatur Chriſti ac noſtra victoria & triumphus.

VII. En igitur principes cauſſas paſchalis lætitiæ: en capita ſacramentorum paſchalium: redemptionem noſtram: Chriſti noſtramque reſurrectionem: baptiſmalis Sacramenti ſollemnitatem. Pauca quæ propoſui Patrum teſtimonia rem ita certam reddunt, ut penitùs abſtinendum cogant ab afferendis in luculentiorem probationem innumeris locis eccleſiaſticorum officiorum. Ex illis ſingulariùs educere placet ceteras cauſſas & myſteria, quæ regiis e fontibus mox reſeratis promanant, & non minori fulgore illuſtrant paſchale tempus. Tunc celebrari intendit Eccleſia Chriſti victoriam ac triumphum. De Chriſto canimus in hymno veſperarum paſchalium:

Victor triumphat, & ſuo
Mortem Sepulchro funerat.

Canebamus olim

Triumphans pompa nobili
Victor ſurgit de funere.

Chri-

Chriſti victoriam evulgat præconium Cerei inquiens: *Hæc nox eſt; in qua deſtructis vinculis mortis Chriſtus ab inferis victor aſcendit*. Chriſti victoris miſericordiam implorat Eccleſia in rythmo paſchali *Sequentiá* nuncupato. Eadem tanti Victoris, ac triumphantis Ducis ſocios nos fieri ſummonet uſurpans pro Capitulo, præſertim veſperarum & laudum Dominicæ in albis, verba Epiſtolæ 1. Johannis cap.v. quibus commendatur victoria noſtra per fidem. Mitto cetera, ſicuti & documenta Patrum. Addam utique ſaltem infra dies hebdomadis paſchalis *Neophytorum* dies appellatos à majoribus, teſte inter alia Epiſtola S. Auguſtini 55. ult.edit. & libro de divin.offic. pſeudo-alcuini tit. *de Sabbatho Sancti Paſchæ* apud Melchior. Hittorpii collectionem ſcriptorum liturgicorum pag.53. edit. rom. eoſdem neophytos potiorem haberi portionem triumphi, & victoriæ Chriſti juxta intentionem Eccleſiæ, quam pandit Fortunatus Pictavienſis, dum ſanctum Paſcha collaudans ait:

Rex ſacer, ecce tui radiat pars magna triumphi,
Cùm puras animas ſacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis &c.

v. pag.19. hymnarii Thomaſiani.

VIII. Recolit etiam Eccleſia in Paſchate Sacrificium, convivium, & nuptias Agni cæleſtis. Ob hoc admirabile Sacrificium exultamus quotannis clamantes in commemorato ſuperius hymno: **Et Sacrificium, convivium, ac nuptiæ cæleſtis agni.**

Jam Paſcha noſtrum Chriſtus eſt,
Paſchalis idem victima,
Et pura puris mentibus
Syncerititatis azyma.
O vera cæli victima &c.

Ad paſchale convivium, & nuptias Agni reputati ſunt ſemper veluti primi aſſeſſores Neonati. Exquire Patres penes Ludov. Thomaſſini tractatum de feſtis

Cap.xvi. lib. 11. Pro omnibns tamen fidelibus has celebrari nuptias, & convivium docent verba hymni mox laudati:

Ad regias agni dapes
Stolis amicti candidis
Poſt tranſitum maris rubri
Chriſto canamus Principi.

Ita ſecundùm lectionem noviſſimam; ſecundùm antiquiorem:

Ad cænam agni providi,
Et ſtolis albis candidi &c.

Quæ ſanè non reſpiciunt ſolos neonatos in albis convenientes ad eccleſiam ſabbatho poſt Paſcha, ut crediddiſſe videtur Onuph. Panvinius in libello de baptiſmate paſchali, & benedictione Agnorum &c. pag. 30. Nam idem adhibetur hymnus toto paſchali reliquo tempore nihil habente præcipui pro Neonatis. Apertiùs id liquet ex uſu libri Apocalypſeos pro 1. lectionibus curſus eccleſiaſtici feriæ vi. infra hebdomadam iii. poſt *octabas* Paſchæ. Efformantur illæ ex verbis Cap. 19. quo repetito multoties *Alleluja* mentio ſit convivii, & nuptiarum Agni. Notabiliora demus. *Alleluja, quoniam regnavit Dominus.... Gaudeamus, & exultemus... quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit ſe, & datum eſt illi, ut cooperiant ſe byſſino ſplendenti & candido. Byſſus enim juſtificationes ſunt Sanctorum... Beati, qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt.* Hæc divinus liber, cujus lectio in Paſchate quam ſit antiqua per Eccleſiam (præter Canonem xvi. Concilii iv. Toletani) teſtatur vetus expoſitio Liturgiæ Gallicanæ S. Germani Pariſienſis ſcriptoris ſeculi vi. apud to. v. anecdotorum Edmundi Martenii, & Urſini Durandi: *Actus apoſtolorum* (ſic laudatus Epiſcopus tit. de *propheta & apoſtolo*) *vel Apocalypſis Johannis pro novitate gaudii*

pa-

paſchalis leguntur ſervantes ordinem temporum.

IX. Poſt deſcripta verba Apocalypſeos, aliorumque locorum jam non difficile obſervatu eſt repræſentari nobis per paſchale tempus & gaudium immenſam gloriam, quæ revelabitur in nobis, gaudiumque futurum, quo exultabimus, ubi congaudere dabitur cum Chriſto, quo cum ſurreximus, ac regnabimus: ideſt, tranſitum ex mæſtitia hujus vitæ ad æternam beatitatem, ex regno carnis ſeu rerum corporalium ad dominationem ſpiritus, quæ probè adverterunt antiqui Patres. S. Auguſtinus inquit in pſalmum 148. num.1. & 2. *Illud tempus, quod eſt ante Paſcha ſignificat tribulationem, in qua modò ſumus. Quod verò nunc agimus poſt Paſcha ſignificat beatitudinem, in qua erimus. Illud tempus in jejuniis, & orationibus exercemus: hoc verò tempus relaxatis jejuniis in laudibus agimus; hoc eſt enim* Alleluja *quod cantamus*. Conſonant his verba Epiſtolæ 119. relata cit. lib.11. cap.XVI. nu. XIV. opuſculi de feſtor.dier. celebratione Thomaſſini: *Quinquagenario numero poſt reſurrectionem Domini, quo cantamus* Alleluja ... *beata illa ſignificatur æternitas*. S. Iſidorus hiſpalenſis lib.1. de eccleſiaſt. officiis cap. 31. in Paſchate celebrari ait tranſitum *ex pejoribus ad meliora, de carnalibus ad ſpiritualia, de converſatione hujus vitæ ad ſpem futuræ reſurrectionis gloriæ*.

Quæ nihil aliud ſunt quam repræſentatio æternæ gloriæ poſt tranſitum ex mæſtitia hujus vitæ & regno carnis.

X. Significatur præterea per Paſcha tranſitus noſter à tempore culparum, ac tenebrarum ad tempus remiſſionis, & luminis gratiæ. Sermo Auguſtinianus, quo utimur Dominica in albis pro lectionibus II. nocturni, hæc habet non de ſolis neophytis explicanda, uti clariùs oſtendetur infra: *Paſchales dies ſunt: ideſt indulgentiæ, ac remiſſionis ... omnes qui ſtatis in Domino apoſtolicis verbis vos alloquor. Ecce nox præceſſit; dies autem appropinquavit. Abiicite ergo opera tenebrarum, & induite vos arma lucis, ſicut in die honeſtè ambu-*

Repræſentatur inſuper tempus tranſitus à culpis & tenebris ad remiſſionem & lumen gratiæ.

bulemus &c. In id collimant verba benedictionis Cerei: *Hæc nox eſt, quæ hodie in Chriſto credentes à vitiis ſeculi, & caligine peccatorum ſegregatos reddit gratiæ... Hæc nox eſt, de qua ſcriptum eſt, & nox ſicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Hujus igitur ſanctificatio noctis fugat ſcelera, culpas lavat &c.* Epiſtola 1. B. Petri Apoſtoli, quam legit Eccleſia infra octavas Paſchæ, quemadmodum videbitur aliàs, loquitur de Chriſto, *qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Gratiam per hoc lumen peculiariùs concipiendam nemo ignorat. Jamque ſileo cetera teſtimonia facili reperienda in textibus officiorum paſchalium, & præcipue in Epiſtolis canonicis paſchali tempore ab antiqua ætate recitatis per Eccleſiam poſt Actus Apoſtolorum, & Apocalypſin ſecundùm verſiculos alibi proponendos.

Ac à ſervitute & diffidiis ad libertatem & pacem.

XI. Tranſitus ſimiliter noſter celebratur ſub Paſchate à tempore ſervitutis, & diffidiorum ad libertatis, & pacis. Hinc variis precationibus ſuis rememorat Eccleſia per paſchale tempus libertatem, *qua Chriſtus nos liberavit*, juxta Paullinæ Epiſtolæ ad Galatas notiſſima verba. Meminit *perfectam libertatem* fidelium Oratio divini officii feriæ II. hebdomadis in albis. Eidem ſuccinit hymnus pluries cit. veſperarum paſchalium, dum ait:

Rex ille dum fortiſſimus
De mortis inferno ſpecu
Patrum ſenatum liberum
Educit ad vitæ jubar.

In hymno diei quadrageſimæ inter paſchales ſeu Aſcenſionis, & novem ſubſequentium *ad veſperas & laudes* Chriſto ita plaudimus:

Vinctis catenas detrahis.

Imò pro gradali eorumdem dierum ad miſſam, & pro verſiculis præſertim, ac reſponſoriis ad curſum adhibe-

bemus verba deſumpta e pſalmo 67. & Epiſtola Pauli ad Epheſios *aſcendens Chriſtus in altum captivam duxit captivitatem*. Obſervabile tandem eſt Eccleſiam inſeruiſſe veſperis Paſchæ, & cujuslibet diei Dominicæ [quam Reſurrectioni dicatam opportunius demonſtro in hiſtoria baſilicæ S. M. tranſtyb. diſquiſit. I. cap. III. §. 45. ex Areta, & Euſebio Ceſarienſibus, S. Leone M. Ordine rom. aliiſque] pſalmum 113. Dei laudes præclarè canentem ob liberatos Hebræos e manu Ægyptiorum, miraque poſt liberationem geſta. Quod ſpectat ad pacem, collecta feriæ VI. paſchalis octidui prædicat *reconciliationis humanæ fœdus*. Aliàs cit. rythmus idipſum reboat inquiens:

Chriſtus innocens Patri reconciliavit peccatores.

Evangelium feriæ III. poſt Paſcha, Dominicæ in albis, & Dominicæ Pentecoſtes Chriſtum oſtendit pacem diſcipulis donantem & annunciantem. In miſſa votiva de B. Maria, quæ præſcribitur *à Paſcha uſque ad Pentecoſtem* primus gradalis verſiculus eſt: *Virga Jeſſe floruit... Pacem Deus reddidit in ſe reconcilians ima ſummis*.

XII. Magna ſunt, quæ delibavimus hucuſque, paſchalia ſacramenta, & *magna* (quod ajebat Rupertus Abbas) *lætitiæ cordis noſtri materia*. Siquidem per eadem nobis referat Eccleſia quam bonum hominibus fuerit ſpontaneam ſubiiſſe necem, & ſurrexiſſe Chriſtum: quam ſit utile, regenerationis adiiſſe lavacrum. Ut verò profundiùs hæc mentibus noſtris infigeret pia mater, olim inſtituit celebrari paſchali tempore communem omnibus Sanctis memoriam. Qua quidem inſtitutione multa obtinebantur à fidelibus. Præſtolabantur alacriores, certiùſque ſperabant affuturum quicquid per Paſcha repræſentabatur, rerum ſingularum complemento conſpecto in imagine Sanctorum. Meditabantur maximam utriuſque Hie-

De antiqua Eccleſiæ conſuetudine celebrandi commune Sanctorum feſtum tempore paſchali.

Hieruſalem connexionem, & unitatem, dum utramque exultantem aſpicerent, Domino reſurgente. Hæc autem non exiguam præbent auxeſin ſacramentorum paſchalium, noſtrorumque gaudiorum catalogo. Ne tamen dubites de * veritate præfatæ inſtitutionis audi Bailletum indagantem originem feſti omnium SS. nunc celebrati Kalendis Novembris : *Longtemps avant que cette fête general euſt etè fixèe à ce jour l'on faiſoit dans la cinquantaine de Paques la fete des Saints en commun, & d'une maniere general: mais on n'y comprenoit encor que la Sainte Vierge, les Apotres, & les Martyrſ; dont on celebroit les triomphes parmi les rejouiſſances du temps paſchal, où de la reſurrection de JeſusChriſt. C'eſt ce qui paroit encore dans les offices de l'Egliſe, où tout eſt commun &c.* Ita cit. operis to. III. col. 2. ad menſem Novembris Bailletus veroſimiliter præ oculis verſans quæ ſcripſit Micrologus cap. 55. obſervationum eccleſiaſticarum : *Sciendum quod antiqui de ſanctis communiter in paſchalibus cantare ſolebant: unde & adhuc nunc de uno, quæ ad plures pertinent cantantur, ut* alleluja, gaudete *&c.* Per hanc veterem praxin declarari poſſet, quare paſchali tempore omittamus in eccleſiaſticis minùs ſollemnibus officiis peculiaria SS. ſuffragia, & ſolam Crucis commemorationem faciamus, ſic præcipientibus rubricis generalibus Breviarii rom. tit. XXXV. num. 2. Poſſet itidem declarari, cur apud aliquas eccleſias, puta Ambianenſem, Noviomenſem, aliaſque eo tempore celebretur feſtum gaudiorum B. Mariæ V. de quo Carolus Guyetus in Eortologia, ubi de hymnis propriis va-

* Ejuſmodi, ni fallor, inſtitutionem & convenientiam jungendi gaudia SS. (præſertim MM.) cum gaudiis noſtris paſchali tempore præclare indicat, explicatque S. Ambroſius ſerm. 22. quem legit Eccleſia II. nocturno offic. de communi MM. temp. Paſch. Excurre illum, pie lector.

variarum eccleſiarum pag. *397*. edit. Venet. anni *1729*.

XIII. Vidimus myſteria paſchalia, & Eccleſiæ curam pro iiſdem ſignificandis. Vidimus propterea paſchalis lætitiæ cauſſas. Sed quid hæc nobis prodeſſent, niſi ſciremus qua ratione, qua via eorum fructum conſequi valeamus? Quamobrem hanc rationem,& viam ſignat Eccleſia in ſuis precibus ac monitionibus paſchalibus. Ubique prædicat renovandam vitæ in vitiis enutritæ inſtitutionem, & depoſitis antiquis ſordidiſque veteris hominis habitibus novi ſanctiorem politioremque cultum, ac faciem induendam: Ubique intimat innocentiam, puritatem, morum innovationem.In palatio romani Pontificis, dum ageretur ſollemne convivium die Paſchatis,modulabantur Cantores (ut fert Cencius Camerarius in ſuo ceremoniali apud to. II. Muſei italici Mabilloniani ord.XII. tit.XV.num.*36*.) græcam proſam incipientem Πάσχα ἱερὸν &c. *Paſcha ſacrum &c.* quæ vocat Paſcha *omnes reformans mortales*, & concluditur per hæc verba: Καινὸν Πάπαν Χριστὲ φύλαξον *novum Papam, Chriſte, conſerva*. Non raro nunc occurrunt in officiis quinquageſimæ paſchalis, quæ ſcribit Apoſtolus I. ad Corinthios V. *Fratres, expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi.... Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, ſed in azymis ſynceritatis, & veritatis*. Ex epiſtola I. B. Petri cap.2. legimus ad miſſam ſabbathi in albis: *Chariſſimi, deponentes omnem malitiam, & omnem dolum ... vos ... populus aquiſitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit &c.* Harum lectionum uſus recens non eſt in Eccleſia, quod hauries e reſponſoriali Thomaſiano pag.*119*. col.I. & antiquis libris miſſarum in Comite rom. eccl. ſive lectionario miſſæ pag.*9*. num.XCIX. col.I. ac in ſubſequen-

Eccleſia vult in Paſchate renovationem morum & innocentiam. Probatur ex ejus verbis.

quente lectionario pag. 51. num. XCII. col. 2. Epiſtola S. Paulli ad Coloſſenſes adhibetur pro lectionibus 1. noct. Dominicæ in albis, ubi hæc monentur: *Deponite vos omnia: iram, indignationem, malitiam .... expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem ſecundùm imaginem ejus, qui creavit illum*. Egregiè vetus præfatio, quę cantabatur feria V. octavę Paſchatis, morum innocentiam, & renovationem vitæ ſic inſinuat: *quia vetuſtate deſtructa renovantur univerſa dejecta: & vitæ nobis in Chriſto reparatur integritas, quam laudant Angeli*. Vide pag. 90. col. 2. ſacramentarii Gelaſiani lib. 1. num. L. in codice Sacramentor. rom. eccl. venerabilis Thomaſii. Apud orationale ejuſdem plures ſunt paſchales preces, quibus ob eadem acquirenda per fideles exoratur Deus. Sub pag. 18. col. 2. præcipuè annotatur ſequens petita è ſacramentario Gregoriano. *Concede .... ut veterem cum ſuis rationibus hominem deponentes illius converſatione vivamus, ad cujus nos ſubſtantiam paſchalibus remediis tranſtuliſti*. De hac novi hominis per paſchale tempus inſtitutione offendi varia in ſupra cit. lib. 1. Iſidori cap. 31. & libro II. Rhabani Mauri de inſtit. Clericorum cap. 39. &c. Revolve illos haud inconſultis, quæ ſcripſit circa novitatem vitæ præfiguratam in Paſchate lib. VIII. operis de recta ejuſdem feſtivitatis celebratione, ac die paſſionis Domini Paullus de Middelburgo, quo & plura de aliis ſacramentis paſchalibus.

An aliqua ex his intelligi debeant de ſolis Neonatis. Horum ſollemnitas erat omnium fidelium ſollemnitas.

XIV. Neque arbitreris, quas produximus, Eccleſiæ voces renovationem, & puritatem indicantes convenire ſolis neonatis. Extant in codicibus ſacramentariis, antiphonalibus, & orationalibus preces pro iiſdem ſpecialiùs accipiendæ. Quamquam hæ omnes ceteros fideles complectuntur. Quippe quod certum eſt, meo judicio, celebrari ab Eccleſia in ſollemni-

nitate baptiſmi paſchalis communem omnium regenerationem, ejuſve memoriam, ut nitidè pandunt ritus tum occidentalium tum orientalium officiorum paſchalium. Apud Græcos in reſurrectione Domini unicum officium explebatur licet baptiſmi ſollemnitas ageretur; obſervante præter alios Bailleto to. iv. tit. *de hebdomada paſchali §.1. de offic. & feſto hebdom.* pag.53. inſuper hebdomas Paſchæ *τῆς διακαινησίμου* appellatur non tantùm ob novas veſtes baptizatorum, quod habet Jacobus Goarus in notis ad Euchologium ubì *de off. baptiſmi* tit. *de pueri poſt baptiſm. ablutione* num.1. pag.377. col.1. ſed, quod ſcribit cit. Bailletus pag.62. agens de Dominica in albis, *à cauſe de la novelle vie des baptiſez, & du renovellement, qui produit la reparation du genre humain faite par le Sauveur dans ſa mort, & ſa reſurrection*. In latina quidem eccleſia olim duplex officium celebratum fuiſſe diebus octavæ paſchalis: aliud de Neonatis, de reſurrectione aliud: contendunt eruditi. V. Johannis Grancolaſii gallicum commentarium ſuper breviar. rom. to.ii. artic. *de off. Hebdomad. paſch.&c.* pag.337. quod indicium eſſet nihil cum ceteris habere commune ſollemnitatem baptizatorum. Verùm aliter decreverit, qui priſca evoluerit liturgica monumenta, e quibus evidens fit permiſcuiſſe Eccleſiam cauſſam omnium in ipſis officiis neonatorum. Unum proferatur exemplum, miſſæ videl. ſabbathi ſanctioris, quam & pertinere ad Paſcha videbimus infrà, & propriam eſſe neophytorum infitiabitur nemo. Adi præfatum opus Grancolaſii, & expende quæ notat pag.317. Collecta hujus miſſæ deſcripta in cit. codice Gelaſiano lib.1.cap.xlv. p.85. ſic omnipotentem deprecatur: *Conſerva in novæ familiæ tuæ progenie ſanctificationis ſpiritum, quem dediſti: ut corpore, & mente renovati puram Tibi animam, & purum pectus*

 ſem-

ſemper exhibeant. En verba κατὰ γράμμα de ſolis neonatis intelligenda. At num ceteri fideles ab iiſdem alieni cenſeantur explicant Orationes *Secretæ*, *& poſt communionem* dicendæ. Prior e ſecretis Gelaſianis ait. *Suſcipe, quæſumus, Domine, & plebis tuæ & tuorum hoſtias renatorum: ut & confeſſione tui nominis, & baptiſmate renovati ſempiternam beatitudinem conſequantur*: Altera incipit: *Suſcipe, Domine, preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum &c.* Oratio prior poſt communionem hæc eſt: *Præſta ... ut divino munere ſatiati & ſacris Myſteriis innovemur, & moribus*. Ex his autem apprehendimus cumulaſſe Eccleſiam orationes pro neonatis, & reliquis fidelibus: hos omnes dona contuliſſe conſueta: omnes communicaſſe ceterarum Synaxeon more; adeoque commumem fuiſſe celebritatem baptizatorum, & quæ pro illis dicerentur cunctos ἀναλόγως reſpexiſſe. Vetus divini officii œconomia dilucidè veritatem aperit. Clariùs nihilominùs recentior. Nunc enim per hebdomaden paſchalem unicum celebramus officium, quo perſpicuam facimus memoriam renatorum, etſi per rarò alicubi, & alicubi nunquam agatur juxta rubricas præpoſitas benedictioni fontis ſollemnitas baptiſmi in ſabbatho ſanctiori. Quin imò, quaſi adſtarent neonati ea die, ritu magno ubique Miſſam baptizatorum cantamus.

Quod renovationem morum & innocentiam per Paſcha velit Eccleſia indicant plures ejuſdem conſuetudines ac ritus.

XV. Confirmant pleraque mox obiter prolata optari in Paſchate ab Eccleſia integritatem, & renovationem morum. Ea tamen non verbis, & precibus ſolùm, quod optabat, præmonebat. Ad hoc mirum quot excogitaverit conſuetudines, ac ritus. An uſum neſcimus renovandi ſub Paſchate omnia, quæ renovari poſſent? Non ſine Numine hinc conſtitutum agi Paſcha menſe primo, qui & *novorum* dicitur, quod obſervat ex recentioribus doctiſſimus Dionyſ.

Pe-

Petavius to. I. de doctrina temporum lib. VII. cap. VI. pag. 617. ex antiquis præter Iſidorum Rhabanus loc. jam cit. num. XIII. hæc dicens: *Propter vitæ novitatem primus menſis in anni menſibus .... celebrationi* [Paſchatis] *attributus eſt*: *nam ipſe dicitur menſis novorum*. An latet uſus plurium fidelium balneis ſeſe lavandi, & nitidiorem affectandi cultum corporis, quod ſaltem indigitat locus Durandi inferiùs adducendus? Et ne ab eccleſiaſticis venerabilioribus conſuetudinibus abſcedamus, an occulti ſunt ritus innovandi ignem, luminaria, ceteraque omnibus nota? An ille abluendi per publicam aſperſionem clerum, & populum poſt renovationem aquæ baptiſmalis fontis? Ferè ſingulos hos uſus deſcribit in ſuis faſtis Novidius, quorum illuſtre excerptum require num. XCVII.

XVI. Nullus verò paſchalium ejuſmodi uſuum ideam optatæ renovationis complet, exprimitque nobiliùs & aptiùs quam ritus aſſumendi veſtem candidam; quem exequebantur Neonati, & Clerici omnes tum obeuntes paſchale aliquod miniſterium, tum ſacris officiis in Presbyterio adſtantes. Ritus, quod ſpectat Neonatos, pluſquam notus eſt: *Pontifex* (inquit ordo romanus cit. collect. Hittorpianæ pag. 53.) *dat ſingulis* [baptizatis] *Stolam candidam, dicens*: *accipe veſtem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Chriſti in vitam æternam*. Communis eſt etiam Græcæ ac Latinæ Eccleſiæ. Sed circa illum remittendus lector ad ampliora ſcriptorum ritualium opera, præſertim Stephani Duranti lib. I. de ſacr. ritib. cap. 19. num. 39. Joſephi Vicecomitis de ritib. baptiſmi to. I. obſervation. eccleſiaſtic. lib. V. cap. 12. & ſeqq. Goari loco jam cit. num. XIV. Martenii, Nicolai &c.

Inter illos præclarior mos immutandi habitum Neophytor. & Clericor. pauca de more Neophytorum

Quem connexum dicimus cum rituClericorum.

XVII. Ritus Clericorum non minùs certus eſt, & communis. Plurimorum quinetiam eruditorum opinio tulit connexionem non minimam eſſe in hiſce utriuſque ordinis uſibus. Id arbitrati ſunt inter alios Belethus, & Durandus infrà allegandi. Idipſum ſentire videtur Grancolaſius cit. to. artic. *de offic. diei Paſch.* pag.331. quum ait: *En quelques Egliſes les choriſtes, qui tiennent le chœur ſont ſans chapes, & en Aubes. Les Chantres les portent a Paques à l'imitation des noveaux baptiſez, qui portoient leurs Aubes durant toute la ſemaine.* Hæc ille, cui libentiſſime aſſentior memorans quæ num. XIV. congeſſi ſuper convenientia ſollemnitatis baptizatorum ſabbatho ſancto cum regeneratione reliquorum fidelium. Coniicio hic ſumme probabile eſſe, quod majores noſtri *Albæ* denominationem hebdomadi paſchali, & *albarum* ſingulis ejus feriis indiderint ob oculos æqualiter habentes & Neonatos, & Clericos albatos.

Mos clericorum tam græcæ tum latinæ eccleſiæ generice expenditur.

XVIII. Ut ut eſt apud Grecos præter Neophytos Clerici omnes albati ſpectabantur in Paſchate per ſacra templa. Ignatius Diaconus, & ſceuophylax magnæ Eccleſiæ in V. Nicephori Patriarchæ à Leone Allatio relatus pag. ſeu col.1455. operis de perpetua occidental. & oriental. Eccl. conſenſione num. XXII. diſſertationis de Dominicis, & hebdomad. Græcorum affirmat accurriſſe in templum *exercitum Eccleſiæ candidis indutum veſtibus* ſollemnitatem Paſchatis cum Imperatore, ceteriſque celebraturum. Latinos Clericos albatos (ni mea me conjectura decipiat) vel ſolus locus ordinis romani recenſentis ceremonias obſervandas *in die ſancto* [ſabb.majoris hebdomadis] *ad veſperum & uſque ad octavas Paſchæ* oſtendere poteſt, unicè perſpecta ratione dicendi, qua utitur ſub tit. *de ſabbatho infra albas* pag.57. cit. ſylloges Hittorpianæ: *Sabbatho infra albas albati, qui in ſabbatho ſan-*

ſancto baptizati fuerint , albis veſtibus exuuntur . Per quæ verba diſcimus genus aliud *albatorum* ſtetiſſe in eccleſiaſticis officiis , quos confundi non vult author ordinis cum albatis e baptiſmo provenientibus . Ad quid enim declaratio illa *albati qui in ſab. s. baptizati fuerint* ? Nonne quiá diſtinguendi erant ab aliis tunc etiam albas veſtes indutis ?

In ſabbatho ſancto Clerici coadjutores miniſtri baptiſmatis apud latinam eccl. albis veſtibus induebantur.

XIX. Hos autem fuiſſe Clericos ex pluribus facillime ſuadeor . De uſibus miniſtrantium proximiùs Altari operę non eſt pretium hìc aggerere teſtimonia, quum nec de illis modò præcisè inquiramus , nec dubitet veroſimiliter ullus pretioſiores nitidioreſque veſtes per eoſdem aſſumptas paſchalia celebraturos myſteria . Pro uſu Clericorum Epiſcopum coadjuvantium baptizantem idoneus teſtis eſt ordo Hittorpianus quum inquit al. cit. pag.53. *Presbyteri, aut Diaconi , etiam , ſi neceſſe fuerit , & acolythi induentes ſe veſtibus mundis vel candidis ingrediuntur in fontem intrò aquam* .

Hoc & dicendum de reliquis clericis. Arguitur ex ordd. romanis.

XX. Ceterorum omnium uſus commodè deducitur ex verſiculis hymni hìc allatis num.VIII. & omninò relegendis , quorum recitatio non eſt Clericis noviſſimè præſcripta . Sed compertus evadit penſantibus hæc verba mox allegati ordinis pag.50. ſub tit. *de ſabb. s. in die . Ipſo die hora ſeptima ingrediuntur ſacrarium Pontifex , Sacerdotes , & levitæ , & induunt ſe veſtimentis ſollemniſſimis , cum quibus vigilias ſanctas celebrare debent : Diaconi Dalmaticis , Subdiaconi lineis , aut ſericis albis , & deportet prior Manſionariorum in manu ſua , ut poſſit ex eo cereus accendi &c.* Ita poſt expoſitum ritum cathechizandi , & ante ritum accenſionis & benedictionis Cerei juxta formam uſitatam apud *forenſes* Civitates . Mos romanus aliter ſe habebat ſi tempus veſtitionis ; ſi rei ſubſtantiam reſpicias idem erat . Nam ibi pag. 54. notatur

tur ad miſſam poſt *Kyrie*, & accenſionem luminum Pontificem e ſacrario ad aram proceſſiſſe *cum magno decore*; ideſt certè, Clero ſollenniſſimis, ſeu albis ac nitentibus indumentis præcincto. Aliàs *ſollemniſſimas* veſtes accepiſſe Clericos omnes romanos in Paſchate idem tradit ordo pag. 55. *die Sancto Paſchæ* (ſic ille) *induti ſollemniſsimis veſtimentis omnes clerici convenientes ad Stationem ad S. Mariam Majorem primitùs cantent tertiam &c.*

Patres meminerunt albam & candidam paſchalem veſtem clericorum.

XXI. Fit etiam compertus præfatus uſus advertentibus, quod veteres aliquot Patres meminerint album paſchale indumentum Sacerdotum. S. Gregorius Turonenſis in libro de vitis Patrum cap. VIII. agens de S. Nicetio Epiſcopo Lugdunenſi *Diacono cuidam* ait *bujus caſulam* [Priſcus Nicetii ſucceſſor] *tribuit .... Cappa autem bujus indumenti ita dilatata erat, atque conſuta, ut ſolent in illis Candidis fieri, quæ per paſchalia feſta Sacerdotum bumeris imponuntur.* Hæc pag. 1188. col. 2. operum Gregorii per Domn. Theodoric. Ruinartum editorum. S. Cæſarius Arelatenſis, ut narrat Cyprianus Tolonenſis Epiſcopus lib. 1. num. 23. ejus vitæ, *Caſulam proceſſoriam, & album paſchalem* pauperibus tradidit. Ad hæc: S. Rhemigius legavit Succeſſori ſuo *Amphibalum album paſchalem*. V. teſtamentum apud Cointium to. 1. annal. Franc. p. 407. Laudatus Ruinartus ſentit amphibalum Remigianum idem ſonare ac *candidum* S. Nicetii. Nec ſuſpiceris hoc indumentum fuiſſe ſingulare Epiſcoporum. Conſideranti verba S. Gregorii Turonenſis patet conveniſſe quibuſcumque Sacerdotibus & Clericis, quos unius formæ extimus habitus olim ornabat, ſicuti docebunt danda inferiùs.

Hæc probabiliter erat linea.

XXII. Suſpicio fortaſſis rationabilior, & ambiguitas enaſcitur; ubi ſtabiliri tentetur conditio ſeu qualitas Albi paſchalis. Num ſericum erat; adeoque

que hodiernum *pluviale* ſeu antiquam *Cappam* referebat; vel etiam *Caſulam* planetamue Sacerdotis ſacrificantis, quam & appellatam inveni *Amphibalum ſine manicis, non ſciſſam, non apertam* in cit. expoſit. Miſſæ S. Germani Pariſienſis? Num potiùs byſſinum ſeu lineum Cottæ ſeu ſuperpelliceo reſpondens? Ego ab authorum ſcriptis nihil clari, & ſolidi ſuper hoc definitum vidi. Habeo quidem validiſſimas conjecturas, queis innixus autumo prorſus byſſinam cottam fuiſſe ad vetuſtiorem formam compactam, laxam, undequaque clauſam, ad talos uſque productam: qualem denique deſcribit Honorius Auguſtodunenſis lib. I. Gemmæ animæ cap. 123. aut Stephanus Epiſcopus Tornacenſis in epiſtola CVI. ad Albinum Cardinalem, vel Nebridius à Mundelheim, aliique Scriptores conſuetudines haud recenter ortas deſignantes, quorum textus quære infra. Neglectis hìc iis, quæ ex connexione uſus veſtis Neonatorum ut plurimùm lineæ (ſecundum verba epiſtolæ Hieronymi ad Fabiolam aliàs afferenda) dici poſſent, ex collatione locorum mox propoſitorum rem totam conjectamus. Paſchale album indumentum vocatur *amphibalus* in teſtamento Rhemigiano. En veſtimentum univerſum hominem circumcingens. Vocabulum [æquivocum quidem quibuſcumque talis formæ indumentis, uti *Caſulæ* denominatio æquivoca eſt juxta notata per Cardinalem Bona lib. I. rer. liturgic. cap. XXIV. §. VIII.] ſatis indicat derivaſſe à græco verbo ἀμφιβάλλω, quod latinè vertitur *circumdo*, judice Joh. Ludovico de la Cerda num. 9. cap. LXXVI. ſacror. adverſar. ejus notionem feliciùs, opinor, aſſequuto, quam Du-cangius in gloſſ. latino. Diſtinctio *albæ paſchalis* à caſula *proceſſoria* (quod eſt apud V. S. Cæſarii) prohibet, ne illam pluviale cenſeamus, quum juſtiùs caſula *proceſſoria* componatur cum pluviali.

Sanè

Sanè Mabillonius ejuſmodi caſulam reſpondere veteri *Capæ* ſenſiſſe videtur lib. 1. liturg. Gallic. cap. VII. num. 2. pag. 63. dum poſt inſtitutum ſermonem de *Cappa* nunc pluviali ſubjungit vocari *Caſulam proceſſoriam* à Cypriano. Laxitas *albi paſchalis* & futura, prout in cottis exhibetur, manifeſtè deſignatur per *candidum* S. Nicetii. Præterea, quum videamus talem habitum nuncupari *Album* paſchalem, & *candidum* paſchale ſine alio additamento, ſuccurrit illicò ratio opinandi ſimilem fuiſſe albo illi, qui κατὰ τὴν ἀντονομασίαν *Alba* nuncupatur, & ex lino byſſove conflatur. Antiquum hujus *Albæ* uſum ac formam *planetæ* ſimilem doctè inſinuat clariſſ. Vigilienſis Epiſcopus Pompejus Sarnellius epiſtola XXVIII. inter epiſtolas Eccleſiaſticas etruſcè ſcriptas to. II. num. III. pag. 64. edit. Venet. an. 1716. & ponit ob oculos Philippus Bonannus Parte 1. catalogi ordinum religioſor. proferens num. XXVII. icona vetuſtiſſimorum Canonicorum Urbis Ucetiæ in Linguadocia cum ſequenti deſcriptioue: *Eorum habitus ſuperpelliceum album erat manicis orbatum caſulæ antiquiſſimæ inſtar*. Et hinc inferes pro diverſo indumento à caſula ſeu planeta ſacrificantium peraptè accipi poſſe *Album* ſive *Candidum* paſchale textuum allegatorum. Adde quod evidenter ſacræ planetæ interpretationem reſpuit locus S. Gregorii Turonenſis. Cur enim ibi comparatur cappa Caſulæ S. Nicetii ſolis candidis paſchalibus laxè fluentibus? Nonne forma planetarum eadem in Paſchate, quæ in reliquis anni temporibus? Dic ergo diverſum habitum intelligi debere, quem non video, cui meliùs aptem, quam candido ſuperpelliceo antiquioris formæ loco veſtium conſuetarum extra paſchale tempus ſub initiis maximæ ſollemnitatis aſſumpto, eique præ amplitudine ſua, notabiliori ſpecie nitoris, ac perfectione

mate-

materiei à quibuſcumque aliis communibus albis (circa quarum uſum pervetuſtum aliqua habet Mabillonius cit. lib. 1. Liturgiæ Gallican. cap. VII. num. 1. p. 61. &c.) diſtincto. An de hoc indumento, vel de planeta ſacrificantium ſit intelligendus cit. Germanus Pariſienſis tit. *quomodo ſollemnis ordo Eccleſiæ agitur &c.* inquiens: *Albis veſtibus Paſcha induitur Sacerdos*: decidere nolo.

XXIII. Non hic tamen nego ſerico-candida indumenta aſſumpta fuiſſe in paſchalibus officiis illuſtrioribus per Clericos ſaltem primi ſubſellii. Veſtes Subdiaconorum, quas cum ceteris vocaverat *ſollemniſſimas*, ordo laudatus num. XX. appellat ſericas aut lineas. Etiamnum Epiſcopis ritu auguſtiori celebrantibus per dies Paſchatis Canonici amiciuntur albis ſericis. Idipſum ſervatur in Cappella Papæ, quod exploratius erit penſitantibus dicenda extremis numeris. Mores antiqui ſunt, nec obſcuri. Quin ſcio Canonicos baſilicæ Vaticanæ olim in ſollemnioribus Paſchæ actionibus veſtes induiſſe ſericas. Hujus uſus pro veſperis paſchalibus teſtem voco veterem rubricam apud reſponſoriale &c. Thomaſianum, quo ad tit. *incipit ordo veſperar. paſchal.* p. CXVII. col. 2. lego: *Omnes induti ſericis indumentis ordinatè ingrediuntur Eccleſiam Cruce, thuribulo cum incenſo, & facula baptiſmi præcedente &c.* Sequitur de cantu *Nonæ* in choro Canonicorum, & proceſſione *uſque ad altare B. Petri*: inde: *tunc prior inc. pit antiphonam* Alleluja.

Sericas veſtes etiam geſtatas in ſollemnioribus Paſchæ actionibus non negandum.

XXIV. Qualeſcumque verò paſchales veſtes albæ (præſertim lineæ) ſacramentis gaudiiſque paſchalibus ſignificandis apprime congruebant. Certè alba veſtis præſignat innocentiam, & munditiam cordis. *Omni tempore*, ait Spiritus Domini IX. Eccleſiaſtis v. 8. *veſtimenta tua ſint candida*: ideſt, ut explanat Magnus Gregorius lib. X. moralium cap. 29. *Membra cor-*

Candidæ veſtes ſignificandis gaudiis, & ſacramentis paſchal. aptiſſimæ. Significant innocentiam, & puritatem.

corporis sui à ſordidis actionibus ſint munda. Divinus agnus clamat cap.III. Apocalypſ. *Qui non inquinaverunt veſtimenta ſua ambulabunt mecum in albis*. S. Johannes Chryſoſtomus paullò ante obitum, aliis dimiſſis, *Candida veſtimenta* ſumpſit *vitæ ſuæ digno* ſubdit Palladius, qui factum narrat. *Albæ veſtes munditiam indicant* ait Honorius cit. lib.I. Gemmæ cap. 232. Stephanus Tornacenſis in cit. epiſtola CVI. pag. 151. epiſtolarum ex edit. Claudii Du-molinet differens de Canonicis regularibus, & ſuperpelliceo *Regularem*, inquit, *habitum ſic præfertis exteriùs, ut interiùs conſervetis. Hujus habitus indicium principale vobis mitto: Superpelliceum novum, candidum, talare, quod repræſentat vobis vitæ novitatem, munditiæ candorem &c.* Super candore hujus veſtimenti hæc S. Carolus Borromeus, ſeu Concilium Mediolanenſe V. ſub eodem Par.III. tit. *de his quæ ad divin. off. pertinent*: Dum *ſuperpelliceum ... induit Clericus cogitet quam perſonam ſuſtineat: nempe à ſordibus, labeque puram*. Memoranda hìc (aliis prætermiſſis) quæ dicenda mandaverit Eccleſia Sacerdotibus albam induentibus: *Dealba me, Domine, & munda cor meum &c.*

Per lineam albam paſchalem deſignatur mundities poſt tribulationem.

XXV. Hæc mundities laboribus, & mortificationibus parta, qualis congruit paſchali, & antepaſchali tempore, de quo num.IX. rectiſſimè exprimitur per linum. De hoc erudimur per verba Apocalypſeos data num.VII. quæ ſic elucidat poſt alios viros doctiſſimos Johannes Tirinus in commentario ad verſ.8. cit. cap.XIX. *Byſſus repræſentat puriſſimam, & innocentiſſimam converſationem filiorum Eccleſiæ tribulatione, ac perſecutione magis eniteſcentem .... perinde ac byſſus ſeu linum maceratione, tunſione, carminatione ſemper melius, purius, candidius, & ſplendidius evadit*. Si vis plura circa lini candorem & macerationem

nem conſule Amalarium lib. III. divinor. off. cap. 4. & Junonem Carnotenſem *de ſignificat. indumentor Sacerdot.* Sermone III. in Synodo, cujus textum tranſlatum vidi cum nonnullis ſupra adductis in opus de forma Cleri Ludovici Tronſonii Par. I. cap. VI. art. III. ſect. IV. *de ſuperpelliceo* pag. 139.

XXVI. Byſſinæ, candidæque veſtes quam benè conveniant ſtatui gloriæ ſeu beatitudinis repræſentatæ in Paſchate, quod reſultat ex dictis cit. num. VIII. & ſeqq. inſtruimur ab enunciatis verbis Apocalypſeos, & ab iis, quæ tranſcripſimus num. XXIV. Inſuper idem divinus liber cap. VI. II. ait datas ſingulis Beatis *ſingulas ſtolas albas*: & cap. IV. 4. Seniores coram Agno ſedentes commonſtrat *circumamictos veſtimentis albis*. An fallar proponens ejuſmodi ſignificationem harum cœleſtium albarum veſtium judex ſit Vir ſummus Jacobus benignus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis in ſuâ explicatione Apocalypſeos cap. III. & VI. non aliter loquutus. Præclara hic afferri poſſent de veſte candida beatorum teſtimonia libri Cyprianæi de mortalit. & Hieronymianæ epiſtolæ 27. de obitu Paullæ &c. Ceterùm *antiquus dierum* Danieli apparuit habens *veſtimentum candidum quaſi nix*, quod fert ejus prophetiæ caput VII. verſ. 9. & narrante Matthæi Evangelio ad cap. XVII. 2. ſtans Chriſtus ſuper montem ſanctum Gloriæ Typum tribus Apoſtolis in veſtimentis albis viſus eſt. Si quæ fortè aliæ cœleſtes viſiones hominibus impertitæ ſunt in terris hoc ipſum oſtenderunt. Videſis locum S. Gregorii Nazianzeni proferendum aptiùs P. I. Sect. III. §. I. tractationis de ritu Presbyterii, hiſtoriam Francorum S. Gregorii Turonenſis lib. II. pag. 75. num. XXII. narrationem viſionis, qua perhibetur B. Franciſcus Aſſiſias accepiſſe ex alto confirmationem celebris Indulgentiæ nuncup. *de Portiuncula* col. I. pag. 972. to. I. Monaſtici Anglicani &c. Ea congruit gloriæ, & beatitudini.

D 2 XXVII.

Dominationi ſpiritus.

XXVII. Eædem lineæ veſtes optime congruunt ſpiritualibus, ad quæ juſtos tranſire per Paſcha monitum eſt num.IX. S. Auguſtinus ſerm.XXXVII. *de lecti n. proverb. Salom.* (ol.45. *de diverſis*) habet num.VI. *Quæritur à uolis quid ſit lana, quid ſit linum: lanam carnale aliquid puto: linum ſpiritale &c.* Enucleat ibi Doctor Sanctiſs. ſenſum verborum *inveniens lanam & linum &c.* quod ὀνομαστὶ notat Serm.217. *de tempore* ex edit. antiquiore nunc LVIII. in appendice to.V. operum p.II. ubi ſuſpicantur Patres S. Mauri hunc fætum eſſe S. Cæſarii Arelatenſis.

Remiſſionis, & luminis ſeu gratiæ tempori.

XXVIII. Tempori remiſſionis, ac luminis (V. num.X.) conveniunt ſimiliter albæ veſtes. Sanè reis per remiſſionem ſolutis valdè proprius color albus. Rei enim atrati olim incedebant, quod exemplo motus Lentuli Prætoris conſpirationis in romanam remp. poſtulati benè advertit Andreas Sauſſajus Panopliæ Sacerdotal. pag.53. Prætereo quod apud Judæos Sacerdos profanitatis reus conventus *veſtes induebat atras* (verba V. Cl. Bernardi Lamy expreſſa lib.1. cap.VIII. apparatus biblici p.177. & ſeq. edit. Lugdun. an.1723.) *quibus obvolutus ex atrio diſcedebat.* Quum contra *quiſquis purus* declararetur *à Judicibus, qui de ordine Sacerdotum cognoſcebant albis ſeſe* indueret, *atque ingreſſus cum fratribus ſuis ſacra* obiret. Circa atram ſordidamve reorum veſtem varia nos cumulamus in hiſtor. baſil. S. M. tranſtyb. cit. diſquiſit. 1. cap.VIII. §.43. Proprius itidem color albus lumini ſeu luci, veluti qui oppoſitus ſit nigro tenebrarum ſchemati. Videatur laudatus Sauſſajus P.1. Panopl. Sacerd. lib.II. cap.VIII. *de colore niveo albæ &c.* & P.1. Panopl. Clericalis lib.IV. *de colore habit. Clericor.* cap.VI. &c. Aliàs de convenientia veſtis candidæ cum lumine pleraque Paganinus Gaudentius non ineptè confert. pag.126. & ſeqq. cap.LI. alte-

terius partis operis de dogmatibus, & ritibus veteris Eccleſiæ. Quia verò cit. num.x. lumen pro gratia, Domino reſurgente, comparata primariò accepimus, quod color albus eamdem ſignet, apertiùs Simeon Theſſalonicenſis teſtificetur. Libro de Sacram. quæſt. 71. (apud Euchologium Goaris pag. 113. col. 2. num. 19. notar. ad miſſam S. Johannis Chryſoſtomi) quærens cur aliqua Pontificum ornamenta ſint *alba* (λευκὰ) aliqua (πορφυρᾶ) *rubra* ſeu *violacea* de albis reſpondet: *Alba ſunt illa propter gratiæ puritatem, & lucem*.

XXIX. Libertatis, & pacis tempori, quod celebrari in Paſchate viſum eſt num. XI. non minùs quadrant veſtes candidæ. Signa libertatis majoribus noſtris placita hæc erant: veſtis candida, annulus, nomen patroni, & tribu. *Veſtis albæ nitore* (ſic liber Tertullian. de reſurrect. Carn.) *& aurei annuli honore, & patroni nomine, & tribu, meritaque famulus libertate donatus honoratur*. Per colorem niveum ſignari pacem, attentis antiquis ac vigentibus adhuc uſibus, compertiſſimum eſt. Excurre pag. 28. cit. Panopl. Sacerdotal. & opus de Canonico ſeculari, & regulari Nicolai Deſnos lib. IV. cap. V. pag. 393. & ſeqq. veſtis albæ Myſteria explicantis, inter quæ aliqua è ſuperiùs dictis. Tempori libertatis & pacis.

XXX. Conveniunt & candidæ veſtes adſtantibus convivio, & nuptiis Agni, quæ per Paſcha repræſentantur, ut ſtatutum num. VIII. Liquet ex verbis hymni ibi legendis. Verùm obſervare non pigeat uſum obtinuiſſe apud veteres aſſidendi, aut miniſtrandi conviviis, ac nuptiis, quin & ſacrificiis aſſumpto candido indumento. Evoluantur adverſaria Gaſparis Barthii lib. XXI. cap. XIV. pag. 1051. tractatus Hieronymi Boſſii de toga romana cap. XIV. opus Octavii Ferrarii de re veſtiar. præcipuè lib. III. cap. 5. quo pari- Etiam convivio, nuptiis, & Sacrificio agni.

riter traditur adhibitas illis occaſionibus lineas veſtes, compendium veterum religioſorum rituum, ſeu notæ Antonii Caraccioli ad conſtitutiones Clericor. Regular. P.II. pag.108. not.1. in cap.II. &c. S. Hieronymus commonet lib.1. adverſ. Pelag. quam decens ſit Sacrificio victimæ cœleſtis *Si Epiſcopus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus .... cum candida veſte* proceſſerint. Quod animadvertimus in gratiam dictorum ſub cit. num.VIII. de ſacrificio.

Necnon victoriæ, ac triumpho Chriſti, & fidelium.

XXXI. Victoria, & triumphus Chriſti reſurgentis, omniumque cum illo vincentium, ac triumphantium (ſecundùm enunciata num.VII. & XII.) poſcebat etiam veſtem candidam. Apud Romanos præter pictam, purpureamque triumphantium veſtem adhibebatur alba in triumphis, præſertim propter Sacrificia tunc agi ſolita. Anno 1727. intrà vineam Patrum Soc. Jeſu nuncupatam *la Pariola* propè Villam Pincianam effoſſus eſt e ruderibus Cœmeterii S. Hermetis lapis cum Epigraphe morem iſtum inſigniter confirmante. Etenim illic legitur inter alia: *M. Coccejus aug. lib. Ambroſius præpoſitus veſtis albæ triumphalis fecit Cocceiæ &c.* Omiſſa hìc require in tabula, quæ per V. Cl. Canonicum Buldethum Cœmeteriorum cuſtodem collocata eſt ad parietem propylæi baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim. Edidit hanc Epigraphen eodem anno cum monumento ſeu columbario Libertorum, & Servorum Liviæ Auguſtæ Ant. Franciſcus Gorius pag.135. illuſtraturus LXXXXIII. inſcriptionem, additis ſuper veſte alba brevibus, & exquiſitis notationibus, promiſſoque uberiori commentario, quem nos avidè expectamus. Sed triumphalem interim noſtram in Apocalypſi, & Patribus intueamur. Chriſtus Dominus cap.III. Apocalypſ. poſt verba, quæ obtulimus num.XXIV. *qui vicerit*, inquit, *ſic veſtietur veſtimentis albis*: coloris vi-

videl: [ut conſentientibus omnibus interpretibus explanat laudatus ſupra Epiſcopus Meldenſis] convenientis ſanctitati, gloriæ æternæ, ac triumpho. Idem Chriſtus cap.vi. 2. victor, & triumphans proponitur ſedens ſuper equo albo, quem commemoratus Boſſuetus proprium fuiſſe ait redeuntium e victoria, & triumphantium. Sub eadem ſpecie iterùm ſpectatur Jeſus cap.xix. 11. 14. ſtipatus militibus aſſidentibus equis albis, *& veſtitis byſſino albo, & mundo*. Tirinus per ejuſmodi byſſinum veſtimentum in commentar. ad verſic.8. hujuſce cap. referri fatetur *triumphi* ſymbolum. Inter teſtimonia Patrum præclariſſimum, quod præbet epiſtola Hieronymi ad Julianum xxxiv. pag.308. to.1. epiſtolar. edit. Mariani Victorii. *Laudent te* (ita maximus Doctor) *quod læto vultu mortem tuleris filiorum: quod in quadrageſima die dormitionis eorum lugubrem veſtem mutaveris: Et dedicatio oſſium Martyris candida tibi veſtimenta reddiderit, ut non ſentires dolorem orbitatis tuæ, quem civitas univerſa ſentiret, ſed ad triumphum Martyris exultares*.

XXXII. Locus hic monendum ſuggerit omnino concordem eſſe albam togam amplitudini feſtivitatis, exultationis, lætitiæ, & gratulationis, quæ Paſcha decent, uti affirmatum eſt num.iii. iv. v. Quamobrem S. Gregorius homil.xii. in Evangel. rationem indagans coloris ſtolæ candidæ, qua coopertus apparuit Angelus ad Sepulchrum poſt reſurrectionem Domini eam definit: *Quia feſtivitatis noſtræ gaudia nuntiavit*: jungit indè: *Candor enim veſtis ſplendorem noſtræ denuntiat ſollemnitatis. Noſtræ dicamus an ſuæ? Sed, ut fateamur verius, & ſuæ dicamus & noſtræ. Illa quippe redemptoris noſtri reſurrectio, & noſtra feſtivitas fuit; quia nos ad immortalitatem reduxit, & Angelorum feſtivitas fuit; quia nos re-*

Veſtis alba lætantium, & gratulantium propria.

revocando ad cœleſtia eorum numerum implevit. In ſua ergo & noſtra feſtivitate Angelus in albis veſtibus apparuit. De reliquo memorandum quod apud veteres Romanos lætitiam, & gratulationem ſignificaret niveus color. Plura de hoc ſuccurrunt cit. opere Ferrarii lib. I. cap. XXII. Inſignis eſt locus Livii Decad. V. lib. 5. quo narratur Nuncios Rhodios, devicto per Quirites Perſeo, ad Urbem acceſſiſſe, & primò ſe conſpiciendos dediſſe *in veſte candida*, quod, inquit hiſtoricus, *& gratulantes decebat*. V. & locum Vopiſci in diſſertat. noſtra de ritu oſtenſ. Sacr. reliquiar. num. VI. pag. 17.

Decet in Paſchate ob imitationem Angeli ſtantis ad ſepulchrum Domini.

XXXIII. Quia meminimus Angeli ſtantis ad monumentum in albis ſilendum non eſt placuiſſe aliquibus uſum coloris nivei Paſchati conſentaneum judicare ob ejuſdem imitationem. Hanc convenientiam recognoſcit in ſacris paſchalibus indumentis Innocentius III. lib. I. Myſterior. Miſſæ cap. 65. cui cum turba recentiorum ſuccinit Bartholomæus Gavantus hodiernæ praxeos ceremoniariæ facilè Magiſter Par. I. commentar. ad rubricas miſſalis tit. XVIII. *de colorib. param.* lit. h. pag. 44. edit. Ven. an. 1726.

Duo monita in dictorum intellectum, & explanationem

XXXIV. Jam verò probatum affatim, quam aptè color, & conditio albarum veſtium, præcipue linearum, fidelibus deſignent ſacramenta paſchalis temporis intenta ab Eccleſia. Sed nec ipſa depoſitionis, ſeu mutationis præcedentis habitus actio minùs ſuffragatur intentioni ejuſdem. Notavimus num. XIII. velle Eccleſiam veteris hominis depoſitionem, Domino reſurgente. Et hoc per habitus mutationes mirificè declaratur. Prius tamen in lumen ac robur dictorum monere debeo non omnia ſacramenta, cauſſaſque paſchalis gaudii à me ſupra fuiſſe recenſitas. Innumerabiles meritò eas vocat (ſi recordamur aſſertorum num. VI.) Rupertus Abbas. Deguſtatis, quæ

quæ ſatis forent ſtabiliendæ opinioni meæ, paucis, multa præterii: ut ex. gr. magnum illud myſterium exaltationis humanitatis, quæ per Chriſtum reſurgentem poſt paſſionem ſuam facta eſt, & complete recolitur ab Eccleſia in commemoratione Aſcenſionis: ſcilicet infra paſchales dies. Myſterium hocce novit præ aliis S. Gregorius Magnus. Legeſis allegandam num. I. homiliam XXIX. ſuper Evangel. qua etiam congruitas albarum veſtium cum eodem aſſeritur. Moneo deinde, ne delicatulus aliquis corruget naſum, ubi offenderit documenta conſuetudinum ethnicarum allata in probationem ſignificationum albæ paſchalis. Ea ſolùm ad docendum appoſita credidimus communem hominibus conceptum, uſumque coloris albi, & indumenti linei. De cetero ſi illinc arguit quiſpiam morem gentilem in Chriſtianos translatum, an ullus ſic arguentem damnare auferit? Sciunt vel qui primis attigerunt labiis religioſioris eruditionis fontes quot arripuerit Eccleſia ex ethnicorum manu etiam ſacra inſtituta, ſiquæ ad illos Hebræorum rivuli deduxiſſent: quot per ipſos inventa, ſi veri Dei cultui, ſalva integritate fidei, famulari potuiſſent, ſanctificaverit. Horum teſtificationes ſuppeditant inter priſcos Patres præter Auguſtinum, alioſque S. Gregorius Nyſſenus in V. Thaumaturgi, Theodoretus lib. VIII. de cur. Græcor. affect. inter noviſſimos præter Baronium ad an. 58. &c. Cornelius Schultingius Biblioth. Eccleſiaſtic. tom. I. P. II. cap. VIII. p. 145. Joh. Fronto in præfat. ad diſſert. de dieb. feſtivis, Petrus Dan. Huetius demonſtr. Evangel. Prop. IV. diſſert. de *libris Moſis* cap. XI. Philip. Bonarroti in obſervationib. italicis ad fragmenta vitrea antiqua tab. XIX. fig. 2. pag. 129. & pag. XXVI. præfationis &c.

Myſterium paſchale de exuendo veteri homine aptiſſimè ſignificatur per depoſitionem veteris habitus.

XXXV. Nunc viam ſternamus declarando myſterio actionis deponendi habitum ante-paſchalem. S. Ambroſius ita alloquitur Neophytos lib. de myſteriis cap. VII. *Accepiſti poſt hæc veſtimenta candida, ut eſſet indicium quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ caſta velamina.* Accinit Ambroſius Hieronymo, qui ait in epiſt. *de veſtitu Sacerdot.* CXXVIII. ad Fabiolam: *Præceptis Dei lavandi ſumus, & quum parati ad indumentum Chriſti tunicas pelliceas depoſuerimus tunc induemur veſte linea nihil in ſe mortis habente; ſed tota candida. ut de baptiſmo conſurgentes cingamus lumbos in veritate, & tota priſtinorum peccatorum turpitudo celetur.* Aliàs in eccleſiaſticis actionibus aſſumptionem, aut depoſitionem exterioris habitus correſpondere motibus interioris vel tantùm colligi valet ex verbis S. Auguſtini in ſerm. jam cit. ſub num. X. *Hodie neophytorum habitus commutatur: ita tamen, ut candor, qui habitu deponitur ſemper in corde teneatur.* Mos alicubi quomdam fuit in Eccleſia, ut Chriſtiani omnes, qua hora ſacro Angelorum pane refici deberent, veſtem exteriorem minus mundam deponerent; quod certè præfigurabat depoſitionem interioris vitiorum cœno fædatæ. Vita S. Jonæ Monachi Cœnobii Muchenſis in Ægypto to. I. Februar. Bollandiani ad d. 11. dat exemplum illuſtre hujus moris, quem inter antiquos Eccleſiæ ritus in opere de his numerat Martenius P. I. cap. IV. *de ſingular. Sacr. Liturg. ritib.* pag. 429. Sed ex aliis elucet clariùs ſimilium dimiſſionum myſterium. Epiſcopus pompa ſollemni celebraturus *cum* (ſicuti ait rubrica Pontificalis præparationis ad miſſam &c.) *exuitur Cappa*, antequam lotis manibus amiciri incipiat albis veſtibus, ſic orat. *Exue me, Domine, veterem hominem cum moribus, & actibus ſuis; & indue me novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in* ju-

Digitized by Google

juſtitia, & ſanctitate veritatis. Apud aliquas diœceſes Presbyteri ſacrificaturi eadem dicebant, & quæ ſequuntur: *Conſcinde, Domine, ſaccum meum, & circumda me lætitia ſalutari*. Ita refert inſtructus à miſſa Illyrici, & antiquis miſſalibus Leodienſi, Rhedonenſi, Aquiſgranenſi &c. Petrus Le-brun cit. tom. explicat. miſſæ artic. IV. tract. præliminaris §. I. pag. 43. notatione 1.

Et myſterium tranſitus à luctuoſo tempore ad lætiſſimum, inſpecta conditione habitus, qui deferebatur olim & nunc defertur in baſilicis.

XXXVI. Ergo vox, & praxis Eccleſiæ paſchalem priſtini habitus, præſertim Clericalis, dimiſſionem ſubmonet intentionem ſuam fovere, myſteriumque ſignare de veteri homine exuendo, quod prænunciavi num. XXXIV. Nunc addo, quod ſignat tranſitum noſtrum e tempore luctus, mæſtitiæ, ac tribulationis (quo charactere diſtinguitur ante-paſchale tempus, teſtibus dictis num. IX. & ſeqq.) ad oppoſitum. Id verò concipi nullatenus poteſt, niſi per examen conditionis habitus, quem ante Paſcha geſtaverint majores noſtri, cujus & veſtigium ſupereſt inter uſus baſilicarum. Sed quis vetuſtiſſimam hanc veſtem lætitiæ paſchali, & myſteriis oppoſitam eruat e latibulis antiquitatis? Quis ejus conformitatem cum recentioribus revelabit? In re ſummè intricata enodanda, exponendaque, Magiſtrum provocabimus. Sentis hic rememorari Cardinalem Thomaſium. Ille igitur in cit. præfatione ad reſponſoriale & antiphon. pag. 18. §. *Reſtat* ſcribit, quæ ſubdo. *Omnes antiquitus, ſingulique cujuſque gradus Clerici in Eccleſiaſticis officiis iiſdem utebantur indumentis; amictu ſcilicet, alba, cingulo, atque planeta ſive caſula, aſſumpto præterea orario ſive ſtola à Diaconibus, Presbyteris, & Epiſcopis. Ea porrò planeta non ſerica, ſed lanea, obſcurique coloris erat; violacei ſcilicet, vel puniceį, ſive caſtanei, ut ex vetuſtis in Urbe Muſivis, aliiſque antiquis monumentis eſt exploratum. Retinent*

 nunc

*unt uſque ex parte, aliis quamvis nominibus, ea indumenta romanæ Eccleſiæ Cardinales; imò & baſilicarum Urbis Canonici tempore brumali. Utuntur enim breviore camiſia ſive alba, quam Rocchettum nuncupant; & inſuper cappa lanea ex camelotto coloris frequentiùs violacei. Hæc autem cappa vetus eſt planeta; veſtimentum videlicet amplum atque rotundum, undique clauſum, quod ſuper brachia ſæpè replicatum * deferunt, ut olim antiqui planetam ſuper brachia levabant. Caputium pellibus ſubſutum hodiernæ cappæ imponitur. Idque ad formam antiquioris planetæ, quæ parvum etiam caputium habebat, ut ex Rhabano diſcimus, vetuſtiſque picturis.* Hæc Venerab. Thomaſius.

Per colorem obſcurum & lanam innuit Eccleſia, tempus minùs lætum & luctuoſum, teſtibus conſuetudinibus romanor. Pontiff. & Cardd.

XXXVII. Quapropter habitus Clericorum choralis per totum annum [excepto paſchali tempore] laneus erat, obſcurique coloris, ut eſt qui deponi ſolet, adveniente Paſchate, per baſilicas. Lana autem, & color obſcurus aliena penitùs, aut adverſa ſignificant ſacramentis, gaudiiſque paſchalibus. Circa colorem [de quo exoptans plura, & graviora videſis cit. volumina Panopl. Clerical. & ſacerdotal. Sauſſaii, opus Antonii Bellotti de ritib. Eccl. Laudun. infra allegandum &c.] obſervo nigrum & violaceum confundi crebrò in uſu Eccleſiaſticorum. Innocentius III. cit. cap. 65. lib. I. Myſterior. miſſæ cum nigro confudit violaceum; quod bene advertit laudatus Gavantus al. enunciato loco pag. 43. col. 1. num. 1. lit. E. Auguſtinus Patricius in Pontificali romano edito anno 1485. *de diverſitate colorum* tractans *quidam*, inquit, *violaceum & nigrum pro uno reputant.*

* Doctiſſ. Cardinalis hic communiorem baſilicarum & quotidianum uſum rectiſſimè deſcribit. Scire autem non diſpliceat apud baſilicas S. M. Maioris, & S. M. transtyb. aliquando infra annum explicari Cappas: ſcilicet mane fer. VI. in Paraſceve, quum illarum Clerus procedit ad Crucis adorationem.

tent. Violaceum referri ad nigrum cum innumeris recentioribus aſſeverat Vicecomes lib. I. cap. XIII. to. IV. obſervat. Eccleſiaſtic. diſſerens de apparatu miſſæ. Hinc fratres S. Dominici in ceremoniali vulgato per Epiſcopum S. Angeli Fr. Hiacynthum Ciantes pag. 408. edit. an. 1654. lib. III. p. IX. cap. IV. liberè diſpoſuerunt: *colore violaceo uti poſſumus eo tempore, quo etiam nigro utimur*. Rationem credo quod uterque affinis oculis videatur: uterque mæſtitiam, & humiliationem præſignet ex inſtituto majorum per Eccleſiam propagato. Porrò nullus non ſcit in uſu colorum, qui pro ſacris paramentis adhiberi ſolent agendis mortualibus officiis, celebrandiſque temporibus jejuniorum, ac pœnitentiæ ubique proprium eſſe nigrum, & violaceum. Nec ignotum, quod eadem ſit perſuaſio Eccleſiæ circa alios habitus Clericorum, præſertim chorales. Cardinales cappa violacea utuntur extra dubium quum luctus & mæſtitia ſub humiliori ſpecie compellat incedere, coccinea lætiores dies, & fauſtiores opportunitates deſignante. Renovantur quotannis, & committuntur Typis libelli, qui de uſu veſtium eorumdem appellantur. In illis occurrunt dies deferendis violaceis deputati. Et obſervatione dignum, quod ad diem Paraſceves certè totius anni luctuoſiſſimam jubetur delatio cappæ *viol. de lana vulgò ſajetta*. Verſa libellos, & poſtulans majora argumenta uſus veſtium Cardinalium etiam antiquioris conſule locum ceremonialis Cappellæ hic num. C. producendum, ubi & alias illorum obſcuras cappas, & ſingulares aliquot dies mæſtos ad eaſdem geſtandas conſtitutos recognoſces. Pro uſu veſtium Summi Pontificis editur pariter quotannis peculiaris elenchus. Nullæ quidem in eo recenſentur veſtes violaceæ: quia nonniſi, quum paratus ad Sacra ſollemnia procedit Pontifex certis mæſtitiæ

occa-

occaſionibus, utitur colore nigro, aut violaceo, quod latiùs explicabo in diſſert. de Mauto papali. Recenſentur tamen dies, quibus induitur laneis veſtimentis. Si verò hi conferantur, concordare planè videbuntur diebus requirentibus aſſumptionem coloris violacei à Collegio Patrum purpuratorum. Ange hinc per laneas veſtes, & violaceas, ſeu nigras, obſcuraſque notari tempus minùs lætum, & luctuoſum e ſtylo rom. Pontificis, ejuſque Cleri ordinis eminentioris.

Etiam Epiſcoporum.

XXXVIII. Idem ſubindicat ſtylus Epiſcoporum expreſſus pluribus in locis ceremonialis, quod noviſſime impreſſum Romæ, juſſu Benedicti XIII. denuò recognitum, præ manibus teneo. *Quoad cappas* (ſic lib. I. cap. III. num. III.) *quibus Epiſcopi in propriis Eccleſiis utuntur, id erit obſervandum, ut regulariter ſint laneæ & violaceæ .... In ſollemnioribus tamen feſtis, quæ in rubricis Breviarii romani primæ claſſis vocantur, dempto triduo ante Paſcha* [Nota excipi tempora lugentis Eccleſiæ propter paſſionem Unigeniti filii Dei] *poterit Epiſcopus uti etiam cappa ex camelotto.* Hæc ibi. Libro II. cap. X. num. II. mandatur Epiſcopo adſtare volenti veſperis commemorationis defunctorum, ut aſſumat *cappam Pontificalem laneam.* Ceterum, quam propriè hujuſmodi cappa mæſtitiæ tempus, ac modum declaret, comprehenditur lectione ejuſdem libri cap. XXII. num. III. IV. V. Varia illic ſtatuuntur pro Epiſcopis præſentibus matutino tenebrarum.

Et Clericorum inferiorum. De Monachis primò loquimur.

XXXIX. Ecquid jam dicam de conceptu habitus Clericorum inferiorum, horumque ſtylo? Si Clericis adſcribimus veteres Monachos, probare poſſumus vilitatem, & nigredinem pallii monaſtici inventam à Patribus ad indicandos tres præcipuos mæſtitiæ fontes: humilitatem, pœnitentiam, ege-

ſta-

ſoterni, rem teſtantibus Petro Cluniacenſi lib. I. epiſt. 28. ad Abbatem Bernardum, Ordorico Vitali annal lib. VIII. ad an. 1094. aliiſque conglobatis per Dadinum Altaſerra lib. VI. originum Monaſticarum cap. XIX. pag. 303. & ſeqq. Huc faceret quod ait S. Bernardus Claræwallenſis Monaſticorum vetuſtiorum uſuum reparator in tractatiuncula *de modo benè vivendi* cap. 9. *Nigra veſtis inſinuat humilitatem mentis; vile veſtimentum denuntiat vitæ contemptum*. Intelligi hoc ipſum aliqui volunt pro colore *griſeo* à Monachis præſertim derivante. Vide collectionem reſponſorum Prudentum ICtorum de birreto rubeo S. R. E. Cardinalibus regularibus dando editam Romæ an. 1593. curante Antonio Scappo pag. 77. num. 36. reſponſi VIII. &c.

De Clericis Græcis.

XL. Penès Græcos habitus Clericorum niger utique non lætum aliquid ſignificat. Symeon Theſſalonicenſis lib. de ſacr. ordinat. cap. 2. de veſte lectorum benedicenda per Epiſcopum habet. *Epiſcopus veſtem nigram, quæ humilitatis, & religioſi timoris ſymbolum* [τὸ ταπεινὸν ϗ εὐλαβὲς τῆς ζωῆς δηλοῦντος τοῦ μέλανος] *benedicit*. Niſi de conſuetudine Pontificali ac altari proximiorum Clericorum differerent, proferrem libens teſtimonium tum ejuſdem Symeonis ad locum jam indicatum num. XXVIII. tum Demetrii Bulgariæ Præſulis lib. V. Juris Græcor. apud ibi laudatum Goarum, quo perſpectum eſſet Græcis rubrum colorem in violaceum veroſimiliter vergentem, aut ſaltem ſecundùm illos obſcurioris conditionis πένθους ideſt *Luctus* indicium extitiſſe, adhibitumque in triſtioribus ſollemniis. De reliquo præpoſiti textus Symeonis ſi vis cetera accede ad commentarium de ſacris ordinationib. Joh. Morini, & pag. 42. collectionis Gaſtonis Chamillardi de corona, tonſura, & habitu Clericorum.

XLI.

De latinis, præcipuè Canonicis.

XLI. Sed à latinis ne diſcedamus, noſtriſque cappis, quas ſcitè nuncupat *pœnitentiales* loco inferiùs laudo Joh. Belethus; In Gemma Honorii lib. 2. cap. 233. extant ſequentia: *Diebus quadrageſimæ vel alio congruo tempore* [ſcil. luctuoſo, & inſollemni] *laneis tunicis Clerici utuntur* [pro lineis cottis annotat Macrus ferens Honorii verba in Hierolexico ad vocab. *ſuperpellic.*] *quia miniſtri Chriſti in humilitate ſervire præcipiuntur*. Nebridius à Mundelheim in antiquario Monaſtico de Canonico habitu ait: *Superpelliceum ſeu cottam abſque manicis utimur undique clauſam, cappa inſuper: non tamen diebus ſollemnioribus.* Subdit Bonannus, qui locum ex epiſtola CXLIII. *Presbyterium* inſcripta producit Parte 1. num. IV. cit. catal. ordd. religioſor. *Cur autem diebus feſtis ſollemnioribus cappam nigram ſeu coloris griſei non adhibeant Canonici* [*ex regula ordinis romani docent aliqui*] *eo quod diebus feſtis dedeceat color dolorem, & pœnitentiam indicans*. Sic Bonannus. *Primus pallio nigro* [inquit author Vitæ S. Benonis Epiſcopi Miſnienſis, qua de Burchardo Epiſcopo mentionem facit apud Surium d. 11. Junii] *linea veſte ſuper injecto Clericos uti docuit, præcipuè eſurialibus quadrageſimæ diebus*; quem textum explicans Thomaſſinus to. 11. de diſciplina Eccl. P. IV. lib. 1. cap. XXXVII. §. IV. concludit *n'eſtoit qu'aux jours de ieune, qu'on portoit ces chappes noires*. De lanea capparum materie præter colorem pœnitentiam denotante importunum arbitror multa loqui. Sermo Stephani Tornacenſis (quem legi cit. lib. IV. operis Nicolai Deſnos cap, XI. p. 413.) habitus in honorem S. Genovefæ inducit hanc quærentem *linum munditiæ à B. V. Maria, quo ſuperpelliceum novis Canonicis regularibus contexeret: & lanam pœnitentiæ à B. Magdalena, qua cappas eiſdem conficeret*, ut uſurpem verba Claudii Du-molinet in notula 2. ad epiſtol. hic

cit.

cit. num. xxii. Annectere his possem testificationem quæsitam ab habitu fratrum O. Prædicatorum, quos pauci nesciunt plura mutuatos à Canonicis regularibus, advertente id inter ceteros pro ritu quodam Card. Bona c. xviii. tract. de divina psalmodia §. viii. num. ii. At videns collectionem fere omnium pertinentium ad regimen ordinis publici juris factam an. 1645. labore Fr. Vincentii Mariæ Fontana, præsertim pag. 383. tit. *de habitu ordinis* num. 1. & pag. 639. tit. *de vestib.* num. 1. ac 3. Hauriès illinc extimam nigram cappam laneam Fratrum humiliationem denuntiare paupertatis, quam protestantur, adeoque indumentum censeri mæstitiæ, ac pœnitentiæ. Egregia quædam, & apertiora documenta talium significationum cappæ Canonicalis reliquum disceptationis ministrabit. Interim in confirmationem propositi nostri legas iterum, quæ de lana meditabatur S. Augustinus in sermone cit. sub nu. xxvii. & quicquid eruditè scripsit circa vilitatem lanæ, & præstantiam byssi Joh. Garnerius differtat. iii. seu appendice ad notas in libri diurni romanor. Pontificum caput iii. *de usu Pallii* pag. 203. & seqq. à num. xliii. ad lix. subtiliter examinans, an vetustiori ævo Pallium Archiepiscopale lineum fuerit potius, quam laneum. Excurras insuper schediasmata sacro-profana Aloysii Novarini lib. viii. cap. xii. p. 222. num. 56. e capitulis Herardi Archiep. Turonensis n. 120. & Canone 36. Isaaci Episcopi Lincolniensis asserentis ritum Pœnitentium abstinendi à conviviis & vestibus albis.

XLIII. Liquidò tandem patet quod probandum susceperam num. xxxvii. per colorem scilicet obscurum, & lanam significari ab Ecclesia tempus mæstitiæ, & luctus. Quocirca nemo ambigere meritò poterit, quod deponentibus Clericis ejusmodi illætum habitum sub Paschate, nobis mysterium transitus

Quæritur quando incipiant desinantque tempora lætitiæ paschalis, & ante-paschalis mæstitiæ. Utrum lætitiæ

tus

paſchalis initium ſit poſt horam tertiam aut admiſſam ſabbathi ſanctioris.

tus innuatur ab eo tempore ad dies lætitiæ, & exultationis. Verùm, ut id manifeſtius evadat, penſandum eſt, an momentum, quo deponitur, ſit certum initium lætitiæ: decurſus verò temporis, quo olim deferebatur, aut nunc defertur ideam impleat mærentis Eccleſiæ. Et primò, quod attinet ad initium paſchalis gaudii, viſum eſt forſan aliquibus illud affigi poſſe actionibus ſubſequentibus horam tertiam ſabbathi ſanctioris, aut initio miſſæ ejuſdem diei. *Paſchalis dies* (inquit Benedictus Bacchinus in diſſertat. Chronologico-hiſt. ad 1. Partem lib. Pontificalis Agnelli pag.188.) *ſive Reſurrectionis incipiebat eccleſiaſtico more ſabbathi S. hora tertia, qua benedictio fontis, & competentium cum ceteris fiebat*. Author ceremonialis Ordinis Prædicatorum lib.2. cap. 2. pag.89. ait: *Tempus Paſchale vocatur à miſſa ſabbathi ſancti in vigilia Paſchatis uſque ad primas Veſperas Trinitatis excluſivè*: A miſſa videlicet *incluſivè*, quum certè eadem non *ad ſabbathum pertineat, ſed ad diem Reſurrectionis*, uti notant Durandus lib.VI. rational. divinor. officior. cap.XX. Belethus explication. eorumdem cap.XCIX. Marcellus Francolinus P. 1. tractat. de tempore horar. Canonicar. cap.XXIX. num.6. &c. Hanc autem opinionem circa initium paſchalium gaudiorum ſequi non poſſum; tum quia memoro multas ſupereſſe actiones poſt tertiam ante miſſam, quæ mæſtitiam, & pœnitentiam ſapiunt, quod oſtendunt veteres, ac recentes libelli Liturgici: tum quia lætum nihil affulget ſub exordiis miſſæ. Uſque ad cantum hymni angelici *Gloria in excelſis Deo &c.* nullus nolarum, nullus organorum feſtivus clangor in templis, ideſt nullum lætitiæ indicium.

Vel ad hymnum Angelicum.

XLIII. Ob hæc tamen non affigam generalis lætitiæ paſchalis initium ad præfatum hymnum, licet ſciam eidem alicubi præjuiſſe ſequentem orationem gau-

gaudia denotantem: *Deus, qui [illegible] ſacræ Reſurrectionis tuæ annunciatione* (ſic apud tractatum Martenii de antiqua eccleſ. diſcipl. in celebrand. divinis off. cap.xxiv. *de Sabb. S.* num.xxviii. ex miſſali Tholoſano) *auditam feciſti jocunditatem; quum ex inferis rediens repleſti terram gaudiis, quam reliqueras in obſcuris; quæſumus potentiæ tuæ ineffabilem majeſtatem; ut ſicut catervam apoſtolicum gaudere feciſti ſacra Anaſtaſi: ita hanc familiam tuam miſericordiam expanſis manibus flagitantem ſplendore cæleſtis jubaris illuſtrare digneris. Per.* Etenim non cantatur ille apud omnes Eccleſias ſabbato ſancto, & olim cantari ſolebat aliquando triſtioribus diebus: imò canitur nunc non rarò infra Quadrageſimam. Ex ritu Ambroſiano [ut edocent miſſalia Mediolanenſia] non dicitur in vigilia Paſchæ *Gloria in excelſis Deo*, quod etiam obſervat Martenius num.xxix. cit. cap. & operis. Per Adventum quomdam dictum probat Petrus Le-brun cit. explicat. P.ii. artic.iii. §.ii. pag.174. *obſervationum* num.6. Modò non omittitur in miſſis feſtorum duplicium aut ſemiduplicium quadrageſimali tempore celebrandis.

XLIV. Gaudium igitur paſchale, & myſteriorum exploratius initium trahatur à momento, quo primùm reſonat vox *Alleluja*. Hæc eſt verus index paſchalis temporis, ſicut abundè concipitur ex loco S. Auguſtini jam allegat. ad num.ix. Hæc eſt adeo Paſchati connexa, & propria, ut antiquitùs alicubi nullo alio tempore, aut perraò extra illud caneretur. De hujuſmodi veritate multa ſunt teſtimonia apud Cardinalem Bona in tract. de divin. pſalm. c.xvi. §.7. n.iv. & rer. lit. lib.ii. c.vi. §.v. Grancolaſium cit. commentar. t.1. art. *des prieres* amen, alleluja &c. p.166. & ſequ. Bailletum loco mox indicando. Per eam mirabilis fit ille tranſitus de mœrore ad lætitiam, quem præ ceteris

Feſtum & gaudium paſchale incipit à 1. *Alleluja* miſſæ ſabb. s.

 expli-

explicarunt Patres IV. Concilii Toletani, quum ſtatuentes ad evellendos nonnullos abuſus, ne *Alleluja* decantaretur in diebus Quadrageſimæ, addidere rationem, quòd tunc opus eſſet *fletibus, ac jejuniis inſiſtere: corpus cilicio, & cinere induere: animum mœroribus deiicere: gaudium in triſtitiam vertere; quouſque veniat tempus reſurrectionis Chriſti; quando oporteat jam* Alleluja *in lætitia canere, & in gaudium mœrorem commutare*. Ubi ergo primum inſonuerit *Alleluja* credendum tunc incipere gaudium, & paſchalem ſollemnitatem, quod quidem contingit poſt lectam epiſtolam miſſæ ſabbathi ſanctioris. Quam certum hoc ſit ſenſit Bailletus, indeque ait al. cit. to.IV. vitar. SS. ac feſtor. agens de ſabb. s. & hiſt. Paſchæ §.III. artic.VII. num.XVII. col.286. *On commencoit la ſollemnitè paſchale des baptiſez par* l'alleluja; *dont le chant avoit etè interrompu depuis la veille dela ſeptuageſime, qui l'Egliſe etoit dans l'affliction, & le devil de la penitence*. Poſt hæc erit compertius nobis, cur Eccleſia ſemper ubique ritu ſollemni ea die cantaverit *Alleluja*: cur mores paſchales omnibus communes tunc primum prodeant. Quo ritu annuntiaretur olim *Alleluja* apud aliquas Eccleſias vide in tract. Martenii de antiq. diſcipl. &c. cap.XXIV. *de ſabb. s.* num.XXX. pag.417. Qua ſollemnitate nunc idem agatur apud eccleſias, in quibus aut Presbyter aut Epiſcopus non proprius celebret, clarum eſt ex rubrica miſſalis ad miſſ. ſabb. s. & ex textu ceremonialis Vaticani dando inferiùs num.XCIV. Sed notabilis nimium videtur (exprimit enim veram intentionem Eccleſiæ circa initium de quo inquirimus) ſollemnitas, qua annunciatur Epiſcopis celebrantibus in ſuis diœceſibus. *Finita epiſtola* [ita ceremoniale Epiſcopor. lib.II. cap.XXVII. num.XXV.] *Subdiaconus dimiſſo libro in manu Ceremoniarii immediatè accedens ante ſe-*

dem

jem *Epiſcopi clara voce dicit*: Reverendiſs. Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod eſt *Alleluja*. Neque novus eſt hic ritus. Conſtat ſervari jam à pluribus ſeculis in ſacello Pontificis. Ceremoniale ſeu ordo XV. Mabillonianus Petri Amelii, qui colligebat veteres papales ritus ſeculo XIV. mandat cap. LXXX. hanc fieri annunciationem Papæ celebranti: cap. LXXXII. Prælato *qui faciat officium* vice Pontificis. Inter conſuetudines paſchales, quæ erumpunt una cum voce *Alleluja*, accenſe illam, quam Paſchati convenire tradidi alias, ſtatum nempe ſeu aſſurrectionem fidelium. *Quando celebrans cantata à Subdiacono Epiſtola gradatim ter intonat* Alleluja, *omnes, qui ſunt in eccleſia ſtant*, inquit Johannes bapt. Haldenius P. I. ſui Ephemerologii Eccleſiaſtico-rubriciſtici tit. XX. §. III. *de ſabb. s.* p. 113. col. I. not. 5. Rememora hic locum Hieronymi exſcriptum num. VI.

XLV. Quod ego confidenter aſſeveravi de initio Paſchatis ad I. *Alleluja* conſignando juſtificare poterit aptiori fieri tempore depoſitionem habitus mæſtitiæ, ubi ſub ea voce deponi ſoleat. Ceterùm reprobandus non videretur, ſi alicubi vigeret, uſus illum deponendi aut paullo ante miſſam Sabb. Sancti, aut ſub ejus exordio, aut ad hymnum Angelicum; quum nec damnandi ſint penitùs, qui potiùs ad ea momenta natale Paſchatis locari volunt. Siquidem lætitia, & celebratio paſchalis concepta latiùs, aut ſaltem pro aliquibus, uti Neonatis, incipit multò ante miſſam, & pluribus prænunciatur in benedictione præſertim Cerei. Conferantur verba præconii. Ulteriùs exempla nequaquam deſunt depoſitionis commemorati habitus factæ priuſquam *Alleluja* ritu maximo nunciaretur; quin etiam ſub iiſdem ferè momentis. V. hic num. XX. LXI. LXII. XCVI.

Id verò non efficit, ut ſupra notata momenta temporis dici non poſſint aliquomodo initia paſchalis gaudii.

XLVI.

Quamdiu perſeveret paſchale gaudium.

XLVI. Perſeverat autem paſchale gaudium ſeu tempus per quinquaginta dies. *Sic diſpoſuit Dominus: ut ſicut ejus paſſione in quadrageſimæ jejuniis contriſtaremur; ita ejus reſurrectione in quinquageſimæ feriis lætaremur*, ajebat S. Maximus Taurinenſis in homil. *de Pentecoſte* pag. 29. to. VI. Biblioth. PP. Lugdun. Dies Pentecoſtes terminus eſt Paſchalis ſollemnitatis. Quia verò feſtum Pentecoſtes per octo dies juxta morem majorum ſollemnitatum recolitur, & quodlibet octiduum quaſi una dies cenſetur, authore Radulpho Tungrenſi de obſerv. Canonum prop. 19. & 23. Gavanto, Byſſo, ceteriſque noviſſimis rituum illuſtratoribus, perſeverare dicitur tempus paſchale uſque ad Dominicam Trinitatis. *Poſt nonam* [ita rubrica Breviar. rom. ſub oratione ſabbathi IV. temporum infrà oct. Pentec.] *celebrata miſſa terminatur tempus paſchale.* Olim infrà hos quinquaginta dies ubique fermè per Latinam Eccleſiam eadem erat officiorum œconomia, quæ in hebdomade I. paſchali. Legendus Grancolaſii commentarius t. II. al. cit. artic. *de off. hebdomad. & temp. paſch.* p. 342. quo eruditè narratur ubi ſuperſint nunc veſtigia hujus uſus. Inſinuat hoc quinquaginta paſchales dies ex opinione Patrum noſtrorum velut unicum diem feſtum propoſitos fuiſſe fidelibus honorandos. Et hinc non mirandum, ſi veteres celebrare volentes anniverſarium baptiſmatis, quod ſabbatho ſanctioris hebdomadis percepiſſent, ad id deſtinaverint aliam à ſabbatho præfato, nempe Dominicam II. poſt Paſcha, quam ſub nomine Paſchatis *annotini* deſignabant. Memoriam talis ſollemnitatis ſervat pretioſus codex Gelaſianus pag. 92. lib. I. cap. LIIII. & eruditi plures illuſtrant, quorum per manus omnium feruntur commentarii. Cur verò tamdiu prorogaretur paſchale feſtum indicat S. Ambroſius in cap. 17. Lucæ, dum appellat tempus paſchale octavam hebdoma-

domadarum. Quod utique verum eſt; nam quadraginta novem dies ſeptem hebdomades conficiunt; quinquageſima eſt caput octavæ. Conditio feſtivitatis paſchalis jam nunc rememoranda. Vidimus illam num.III. paſſim reputatam *ſollemnitatum ſollemnitatem*. Quare, ſi qualibet ſollemnitas [ut memini paulò ſupra] per hebdomaden integram dierum diſtenditur; adeoque dierum gaudet octava: Paſchale feſtum ſeptuplicare debuit dies ſuos; atque ita frui hebdomadarum octava.

XLVII. Lætitiæ tempore dimenſo nulla ambiguitas circa menſuram temporis mæſtitiæ. Ejuſmodi cenſendum quod elabitur à quinquageſima paſchali; videl. *quod eſt ante Paſcha*, ſecundum phraſin S. Auguſtini iterùm memorati num.XLIV. Validiſſimum argumentum mihi vetus interdictum multarum Eccleſiarum canendi *Alleluja* extra Paſcha,quod obiter aliàs monui. Laudatus Auguſtinus illud teſtatur in epiſtola ad Januarium notans per hæc verba aliquarum diverſam conſuetudinem: *Ut alleluja per hos ſolos quinquaginta dies* [paſchales] *in Eccleſia cantetur non uſquequaque obſervatur*. Sub S. Damaſo introductum Romæ cantum *Alleluja* extra paſchale tempus arguit ex loco Epiſtolæ *64*. lib. VIII. regeſti Gregorii Magni Grancolaſius cit. pag. *166*. tom.I. artic. *des prieres* amen,alleluja &c. **Tempus mæſtitiæ totum illud eſt, quod præcedit Paſcha.**

XLVIII. Firmius efficitur præpoſitum argumentum excurrentibus per intervalla temporis ante-paſchalis. Enim verò illætum mæſtumue arbitror quodcumque diffluit à Pentecoſte ad menſem Novembris; quin, vel tantum agnita diverſitate lectionum, quæ præſcribuntur eo tempore ex inſtitutione Eccleſiæ nequaquam recenti. Paſchali tempore leguntur libri novi fæderis; gratiæ ſcil. ac lætitiæ documenta: reliquo ſolùm antiqui; ſuſpirantis ſcil. Eccleſiæ voces, **De intervallo à Pentecoſte ad menſem novembris.**

&c mæ-

& mæſte expectantis redemptionem. Proſpectum talium lectionum inſpice in ſequentibus verſiculis præponi ſolitis accuratioribus editionibus romani breviarii.

Actus apoſtolicus ſequitur poſt Paſcha legendus.
Hinc Apocalypſin lege, Canonicaſque viciſſim.
Poſt Pentecoſten Regum liber exit in hoſtem.
Inde per Auguſtum retinet ſapientia ſcutum.
Per totum menſem ſapiens Salomon tenet enſem.
Cantat September Job, Tobiam, Judith, Eſther.
Octobri menſe Machabæa trophæa recenſe.
Iſti Ezechiel, Daniel, durabunt menſe novembri.
Poſtea tu repetes bis ſex in fineprophetas.

A menſe novembri ad tempus Adventus.

XLIX. Menſis quidem Novembris ob aliam cauſſam referatur inter ſpatia mæſtitiæ. *Eo tempore* [inquit Laurentius Landtmeterus in opuſculo de veteri Clerico, Monacho, Clerico-Monacho p.76. cap.VI. *de habitu Clericor.* lib.1.] *generale conſuevit in Eccleſia eſſe jejunium, authore Iſidoro.*lib.2. eccl. off. c.39. *obſervatumque illud etiam tempore Caroli M. quod ejuſdem mentionem Rhabanus facit* de inſtitut. Clericor. cap.22. lib.2. *videturque idem hoc jejunium cum eo, quod in Gallii dicebatur* Quadrageſima S. Martini; *cujus mentio fit in Synodo Matiſconenſi.* Hæc Synodus celebrata eſt an.581.

Ab adventu ad Natale Domini.

L. Tempus Adventus Domini quale ſit habendum quis ignorat? Olim tunc [ut in Quadrageſima] jejunium celebrabatur ab omnibus. V. Durandum rationalis libro VI. cap.2. num.6. Ubique [ut in Quadrageſima] ſacræ pœnitentiæ conciones [cujus uſus veſtigium ſupereſt ex eccleſiis Canonicorum Urbis in baſilica S. Petri, & S. M. tranſtyb. tantùm] declamabantur, teſtibus ſermonibus *de adventu Domini* S. Bernardi, aliorumque Patrum, & Capitularibus Caroli Calvi. Adventus officia tum vetera tum nova ritus

ritus cœteri Eccleſiaſtici ubique mæſtitiam præfeſerunt, & non modicam uniformitatem cum inſtitutis quadrageſimalibus, quod ex collatione percipitur.

LI. Natalis Domini dies, & ſubſequentes uſque ad ſeptuageſimam [qui ſunt ejuſdem corollaria] lætitiæ paſchali certe comparandi non videntur. In ipſa Epiphaniæ ſollemnitate particulam bonorum recolimus, quæ Paſcha nobis plena manu diffundit. Idcircò S. Leo M. ſerm. II. hujus feſti tunc *celebrari* ait *vocationis noſtræ fideique primitias, & exultantibus animis beatæ ſpei initia*. S. Gregorius M. in homil. XXIX. ſuper Evangel. al. indicata ſcrutans, quare Angeli, aſcendente Domino, viſi ſint in veſtibus albis, minimè tamen naſcente, inquit: *Naſcente Domino videbatur divinitas humiliata; aſcendente verò Domino eſt humanitas exaltata; Albæ etenim veſtes exultationi magis congruunt, quam humiliationi*. Ita præclare ſignificatur quam oppoſita ſit paſchalibus gaudiis idea feſtivitatis natalitiæ. A Natali ad ſeptuageſimam

LII. Sub nomine Quadrageſimæ aliquomodo complecti rectè poſſumus integrum tempus incipiens à ſeptuageſima, deficiens in Paſchate. Grancolaſius libratis monumentis majorum unum eumdemque fuiſſe ab initio quadrageſimæ conceptum cum ſeptuageſima, ſexageſima, & quinquageſima ſic enodat to. II. commentar. artic. *de la ſeptuageſ.* pag. 152. *Ces ſont trois ſemaines de penitence, qui ſont fondèes ſur la diverſitè des Egliſes pour le jeune du Careme. Ceux, qui ne jeunoient point le ſamedi, comme on fait en Orient, avancoient le Careme d'une ſemaine, qui ſe nommoit la ſexageſime. Ceux, qui ne jeunoient point ni le ieudi, ni le ſamedi avancoient de deux ſemaines, qu'ils appelloient Septuageſime. D'autres, qui né jeunoient point ni le ieudi ſaint, ni le ſamedi ſaint ioignoient ces deux iours à quatre autres pour faire une quarantaine* A ſeptuageſima ad Paſcha.

complete ; & appelloient cette ſemaine Quinquageſime. Ut ut eſt modò certa lætitiæ nota (videl. vox *Alleluja*) ritu ſollemni intermitti jubetur poſt 1. Veſperas Dominicæ ſeptuageſimæ, ſicuti manifeſtat rubrica Breviarii rom. & inſueta ceremonia canendi eam vocem extremo verſiculo *Benedicamus*. Quod evincit tempus inde decurſurum uſque ad ejus ſollemnem annunciationem paſchalem (de qua ſupra) eſſe tempus ſummæ mæſtitiæ. De cetero, quod tale ſit Quadrageſima, ritus omnes, verba divinorum officiorum, Patres, & Canones docent, & demonſtrat reſervatum ad illam ab Eccleſia rigidius jejunium, cujus convenientiam cum paſchalibus myſteriis declaravit breviter S. Thomas 2. 2. q. CXLVII. artic. 8. in reſp. ad 3. *Inter alia jejunia* (hæc Doctor angelicus) *ſollemnius eſt quadrageſimale: tum quia obſervatur ad imitationem Chriſti: tum quia per ipſum diſponimur ad redemptionis noſtræ myſteria devotè celebranda*. Amplitudini quadrageſimalis jejunii explicandæ recentiores innumeri operam præbuerunt. Si placet, omiſſis reliquis, vide Joh. Fileſaci commentarium de Quadrageſimæ ritu, & obſervantia apud Chriſtianas gentes: opuſculum de jejuniis Alphonſi Ciacconii: & ſimilis argumenti tractatum gallicum Thomaſſini.

Colligitur ex omnibus hactenus dictis ritum noſtrum vere myſticum eſſe; quod inſuper probatur ab authoritate Pontificum, & Scriptorum ritualium.

LIII. Diſſecuimus in partes non ſine conſilio tempora mæſtitiæ. Proderit id ad cavendum, ne temere corripiatur diverſitas conſuetudinum dandi initium delationi luctuoſi indumenti, quæ ex dictis, dicendiſque cognoſcitur. At contrahenda ſunt aliquando excurrentis liberiùs orationis vela. Hucuſque aggeſta palàm faciunt nec oſcitanter, nec abſque ratione ſingulari apud baſilicas inſtitutum, ut in Paſchate dimiſſa cappa lanea & violacea aſſumeretur à Clericis lineum ſuperpelliceum. Ipſum momentum, quo

quo agitur hæc ceremonia : ipſa depoſitionis veteris habitus actio : novi color, & materies myſticum eſſe hunc ritum, ſive unum e Symbolis myſteriorum paſchalium omninò ſuadent. En expreſſam ſuper eodem opinionem meam præmonitam num.11. Illa quidem ſolo ratiocinii & conjecturarum pondere nititur; ſed quam firmum ſit non diſſimulabit æquus lector. Quodſi debile judicaverit, noſcat ſuffragari etiam nobis argumentum ab authoritate deductum. Myſticum eſſe ſenſerunt ritum noſtrum Romani Pontifices : myſticum Scriptores rituales peritiſſimi, nec recentes. Conſtitutiones antiquæ baſilicæ Lateranenſis veritatem oſtendent de opinione Pontificum : Intuere locum n.LXXVI. Belethus, ac Durandus multis ante nos ſeculis vetuſtiorum peritorum traditionibus imbuti noſtræ protulerunt ſimillimas ſententias. Belethus loquens de tempore mutationis obſcurarum veſtium Clericorum, ideſt paſchali, ait cit. explicat. divinor. off. cap.114. *Indicat tempus hoc ſecundam reſurrectionem; qua nos ſtolam ſalutis, vel glorificationis in corpore induemus, & animo ſtolam juſtitiæ: vel etiam propter renatos, quod albis veſtibus tunc ſint induti: denique ob Angelos, qui in reſurrectione Domini albis veſtibus apparuerunt.* Durandus lib.VI. rational. cap.86. *de die s. Paſchæ* num.6. poſt recenſionem aliquarum conſuetudinum (noſtræ præſertim) quas non ad *decorem* tantùm *fieri*, *ſed ad ſpiritualem quoque hominem referri* dicit, *nigras veſtes*, inquit, *ſeu cappas exuere, eſt aſperitatem pœnitentiæ deponere: albas ſive ſuperpellicia induere eſt ſtolam immortatis firmiter expectare: vel per veſtem albam ſignificamus innocentiæ ſtolam renatorum, vel per hoc repræſentamus hodiernam apparitionem Angelorum, qui in veſtibus albis apparuerunt*. Poſt hos parùm ſollicitor inquirere, num recentiores in noſtro ritu hæc myſteria,

ſimiliave ſuſpexerint, ac deſcripſerint. Perplacet tamen legiſſe quæ ſubnecto myſticis ſignificationibus non adverſa apud Bailletum pag. ſeu col. 285. ad locum citatum num. XLIV. ubi tradens miſſam ſabbathi ſancti celebratam olim circa horam dominicæ Reſurrectionis addit. *Où l'Egliſe pour le dire ainſi quittoit les habits de deuil, & marquoit par les chants d'allegreſſes.... & autres temoignages la rejoviſſance publique, & la joie, qu'elle avoit de voir ſon Epoux ſortir glorieux du tombeau, & repandre une novelle vie pour la communiquer à ſes enfans.*

Colligitur etiam vetuſtiſſimum eſſe, & communem fuiſſe olim in Eccl. ſaltem occidentali, licet id aliundè probetur. Et quidem ex uſibus papalibus.

LIV. Haud minus ex dictis perſpicuum fit ritum baſilicarum pervetuſtum eſſe: imò communem fuiſſe ſeu generalem antiquitus apud Eccleſiam ſaltem occidentalem. Memora & confer quæ de alba paſchali propoſita ſunt à num. XVII. ad XXIV. & numero XXXVI. de habitu extra-paſchali ſecundùm deſcriptionem Thomaſianam. Etſi tamen ea nulla forent, vel exigui roboris argumenta viderentur, nihil falſum aſſeri à nobis diſperſa in ſcriptis ætatem noſtram excedentibus teſtimonia florentis latiſſime hujus uſus inter Clericos, ac ejuſdem veſtigia invictè ſemper probarent. Profectò floruiſſe olim [quin aliquomodo etiam num vigere] apud cœtum Clericorum proximiùs miniſtrantium romano Pontifici, ſeù in Sacello papali clarum erit meditantibus, quæ cumulabimus infrà à num. XCVI. ad poſtremum.

Ex legibus Canonicorum regular.

LV. Leges Canonicorum regularium ritum noſtrum apud illos viguiſſe apertiſſimè tradunt. *Præcipimus* (verba Conſtitutionum per Benedictum XII. efformatarum an. 1339.) *quod in Eccleſiis, monaſteriis, & aliis locis Religionis* [Canonicor. regular.] *in quibus Canonici cappas à parte anteriori apertas de panno laneo conſueverunt deferre, quæ in quibuſdam locis cappæ de choro ſeu * cap-*

pel-

* Al. Cappella.

pellæ, vulgariter nuncupantur ipſas honeſtas ... portare debeant locis , & temporibus conſuetis . Deferant etiam cappas hujuſmodi à feſto omnium SS. uſque ad feſtum Paſchæ infrà ſepta quarumcumque Eccleſiarum Religionis ejuſdem , ac monaſteriorum , & aliorum locorum immediatos Superiores Religionis non habentium ; in quibus monaſteriis , ſive locis fuerit duodenarius Canonicorum numerus : licet hactenus ibidem ipſas non conſueverint deportare . Sic tit. *de forma & honeſt. habit. & veſtimentor.* in libello inſcripto *Regula apoſtolica , & conſtitutiones Clericor. ſeu Canonicor. regular.* nec non pag. 119. bullarii Canonicorum Lateranenſium Romæ impreſſi an. 1727. Per extrema verba commonſtratur aliorum locorum vetus conſuetudo . Dempta cappa lanea in Paſchate a Canonicis regularibus , quod apparerent extima induti veſte linea nemo negatum iverit ; qui proprium habitum talium Clericorum noverit , & paullisper attenderit dicenda inferiùs .

LVI. Veſtigium uſus Clericorum regularium emicat inter mores Fratrum Ordinis Prædicat. in aliquibus (quod non incurioſè prægustatum eſt num. XLI.) conformes eorumdem inſtitutis . Nihil dico de ordinatione 13. Capituli Salmanticenſis habiti ann. 1551. legenda apud volumen , cujus tit. *Regula S. Auguſtini , & conſtitutiones Fratrum Ord. Prædicat.* editum cum notis , ſeu declarationibus an. 1560. curante Fr. Vincentio Maria Bandello Magiſtro Generali pag. 50. col. 1. in notis ad diſtinct. 1. conſtit. cap. x. *de veſtitu* num. 1. & apud cit. collectionem Patris Fontanæ pag. 643. quæ habet in renovationem veterum uſuum : *Ordinamus pro uniformitate noſtri Ordinis ut cappæ in conventu à Paſchate reſurrectionis uſque in feſtum omnium SS. nonniſi in communione, & à Servitoribus miſſarum portentur &c.* Memorabiliora, quæ

Uſibus Fratrum Ord. Prædic. ab iiſdem veroſimiliter derivantibus.

jubet

jubet ceremoniale Ordinis lib. 1. P. 1. cap. iv. pag. 5. & 6. tit. *à quo tempore, quibus diebus, & ad quas horas canonicas fratres debent cappas deferre in choro*. Notantur illic certi dies deferendis nigris hiſce veſtibus deputati. At excipiuntur incipientes à ſabbatho ſancto. Adjungitur deinde: *Similiter deferendæ ſunt ad omnes proceſſiones; excepta proceſſione, quæ fit die S. Paſchæ, & duabus ſequentibus*. His ſcil. temporibus laudati Fratres albati ſtare debent in eccleſiaſticis actionibus.

Conſuetudine communi clericis ſecularibus notata per authores, præſertim rituales.

LVII. Generali conſuetudini fidem adſciſcunt teſtimonia Durandi, ac Belethi præter verba Pennoti, & Benedicti Haefteni afferenda num. LXXIII. & LXXVII. Durandus loco cit. ſub num. LIII. inter *communes* atque *uſitatiores* ſuo ſeculo Eccleſiæ ritus, quos deſcripturum ſe pollicetur in proemio, mutationem retulit habitus paſchalem: *Miniſtri* [en quod ait] *in decorem hujus ſollemnitatis* [Paſchæ] *balneis ſe lavant: barbas, & coronas tondunt: capillos deponunt: veſtes ſive cappas nigras deponunt, & albas induunt*. Belethus loco ibi pariter indicato numerans obſervanda per Eccleſiam circa tempus paſchale *oportet*, inquit, *Domino mundas, & ſollemnes* [in Paſchate] *induamus veſtes, maximèque candidas*. Uterque [quod nemini occultum puto] de conſuetudinibus loquitur Cleri ſecularis, cujus pars ſplendidior nunc meritò judicantur Collegia Canonicorum, qualia ſunt in baſilicis Urbis.

Et ab exemplis plurium Collegiorum Canonicor. ſecular. In Italia vigebat uſus noſter.

LVIII. Aliàs generalis uſus veterum horum Collegiorum ab exemplis redditur compertiſſimus. Diſcurramus per aliquot Europæ provincias, ac dioeceſes ea ratione, qua poſſumus. Neapoli jam ante Pontificatum S. Pii V. deponebatur mæſtus habitus ſabbatho ſancto. Teſtis ſit cedula *motus proprii* ejuſdem Pontificis dat. apud S. Petrum iv. nonas Martii

an

an.IV. incipiens *Licet nos dudùm &c.* qua priſca confirmantur aliqua, & nova conferuntur decora Capitulo Cathedralis. *Cum acceperimus* [ita cedula] *Capitulum, & Canonicos, dum Eccleſiæ ſuæ ſerviciis inſiſtant, roccbettis ſemper uti, ac cappis coloris violacei ſeu purpurei, quem pavonacium vocant, à primis veſperis feſtivitatis omnium SS. uſque ad ſabbathum ſanctum inter miſſarum, veſperarum, aliaque ſollemnia; necnon in proceſſionibus, ac congregationibus publicis, loc.ſque, & temporibus opportunis etiam uti; & ſe Protonotariorum Apoſtolicorum, ac aliorum habitui conformare: necnon baculum paſtoralem ab immemorabili tempore citra habere, & forſan geſtare ex indulto, & permiſſione Sedis apoſtolicæ, vel aliàs conſueviſſe. Quare judicantes dictam Eccleſiam eſſe maximè dignam, ut ejus Canonici ſimiliter & mitræ geſtamine .... decorentur .... eiſdem ut ipſorum Protonotariorum etiam in cappella noſtra aſſiſtentium more cappas præfatas ſabb. ſancto mutare, & hujuſmodi mutatione una cum roccbetto ſeu roccbettis continuare ... ſeque in habitu, & veſtibus Protonotariis ... conformare ... de novo concedimus, & indulgemus.* Hæc reperies inſerta literis Benedicti XIII. datis ſimiliter apud S. Petrum d. XVIII. Aprilis ann. Ch. 1725. Pontificatus I. quarum ecgrapha impreſſa circumvolitant hoc exordio donata: *In apoſtolicæ dignitatis faſtigio &c.* Sunt autem renovationis, & ampliationis indulti Piani. Prætereo cetera Italica exempla.

LIX. Italicis ſuccedant Gallica. Ordinarium In Galliis.
Turonenſe relatum in opere Martenii de antiqua Eccl. diſcipl. in celeb. divinis offic. cap. XXIV. *de ſabb. s.* §. XXXVI. pag. 421. ritum noſtrum Turonis floruiſſe teſtatur, quando exponens *ritus cantandi completorium* ea die inquit: *ad completorium omnes in albis*. Saltem hæc verba deſignant jam depoſitas veteres, nec al-

bas

bas veſtes. Thomaſſinus ſuggerit exemplum Vaurenſis aliarumque to.II. diſciplinæ &c. cit. P.IV.lib.I. cap.XXXVII. §.IV. dum ait: *Le Concile de Lavaur* [can. 46.] *obligeat* an.1368. [Abbates, Fratres, Archidiaconos, Canonicos &c.] *de porter les chappes noires depuis la Touſſaints juſque à Paque &c. deferant cappas nigras, exceptis diebus, quibus cappis ſericis uti ſolent.* Pro uſu Eccleſiæ Trecenſis noſcendo ſic appoſite apud Camuſatum in promptuario pag.418.inſtrumentum, quo an.1353. per militem quemdam conditur Canonica Lireyenſis. *Volumus, & ordinamus, quod Decanus, Canonici, Matricularius, & Clerici à die Paſchæ uſque ad feſtum omnium SS. in ſuperpellicio, & in almucia nigra; & à feſto omnium SS. uſque ad Paſcha in cappis nigris ſecundùm modum Eccleſiæ Trecenſis in d. noſtra Eccleſia celebrandis & decantandis miſſam, & horas prædictas habeant, & interſint.* De Viennenſi Eccleſia hæc, referente Joh. Le-lieure apud Cangium in Gloſſ. latino ad voc. *almucium* ſtatuta de Canonicis cap.26. *A feſto S. Martini uſque ad Paſcha portabunt cappas nigras ſupra * pellicium: & à Paſcha uſque ad feſtum omnium SS. portabunt ſuperpellicium ſine capa, & in capite capellum de Griſo, quem vulgò almuciam vocant.* Eccleſia Avenionenſis aliud miniſtrat exemplum. Nam apud Steph. Baluzium to.II. de vitis Papar. qui Avenione ſederunt pag.573. viſitur num.LXXXII. inter acta ibi collecta diploma Johannis XXII. confirmantis an.1333. ſtatuta per Card. Arnaldum De-via pro Canonicis Villæ-novæ Avenionenſis diœceſeos, quibus hæc de habitu ordinantur. *Item volumus quod omne Canonici, & Presbyteri, & alii ſervitores dictæ noſtræ Eccleſiæ in ea ſpecialiter ſint, & ſtent in habitu mundo & integro: Videlicet à vigilia*

Pa-

* Forte *ſupra ſuperpellicium.*

Paſcha incipiendo in miſſa uſque ad vigiliam omnium SS. incluſivè in ſuperpelliceis tantùm uniformiter factis; ſcilicet cum longis manicis maximè de die. Item quòd Canonici, & Presbyteri à feſto omnium SS. incipiendo ad matutinas uſque ad prædictam vigiliam Paſchæ ſint cùm ſuperpelliciis, & cappa nigra de ſaya, vel alio panno nigro; quæ cappa ſit competenter aperta cum grandi capucio, & ſit longa uſque ad terram, & non habeat caudam acutam .... Canonici verò ſi voluerint portare poterunt longiores, & aumuſſias de fevuollis. Alii verò ſcil. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi de alia pelle nigra à parte exteriori, vel panno honeſto portent &c. Toties commendatus Martenius t.III.de antiquis Eccl.ritib.lib.II.c.v. pag.101. & libellus de vita & moribus Canonicorum Dionyſii Rikel Carthuſiani editionis Colonienſis an. 1670. pag.181. exhibent mihi ordinem ad recipiendum Canonicum Eccleſiæ Pariſinæ erutum e *chartulariis*, & veteribus *regiſtris Capituli*, ſimulque exemplum hujus cathedralis. *Media nocte pſallant* [ſic ordo ſub tit. *de off. divino diverſis horis celebrando*] *cum cappis, & caputiis nigris toto anni tempore, excepta ſeptimana Paſchæ uſque poſt completam per octo dies ſolemnitatem S. Dionyſii; qua expleta deinceps cappas nigras cucullatas ſuper imponunt veſtimento al o, cum quo habitu nigro ſemper recipiuntur, & in tumulo deponuntur.*

LX. Belgium, & Germania Gallicis moribus conſonabant. In tractatiuncula Anſelmi Canonici Leodienſis apud to.I. operis de geſtis Tungrenſium & Leodienſium Pontificum concinnati ex antiquis ſcriptoribus per Joh. Chappeavillæum pag.195.c.XLVIII. narratur Heraclium XL. Epiſcopum *inter cetera diſciplinæ inſtituta* ſanxiſſe * *ut in adventu Domini, & à* Belgio, & Germania.

 ſe-

* Ex hoc loco quidam (ut Molinetus, Le large) conjiciunt alicubi geſtatas aliquando fuiſſe cappas albas à Clerico monachis. An rectè diſputabimus in opere noſtro de Hierarchia &c.

Septuageſima uſque in Paſcha Clerus pulla veſte; nigris ſcilicet cappis amiciretur; eo quod niger color pœnitentiæ, & afflictioni magis conveniret. Uſus Clericorum Miſnienſium, & Auſtriacorum non difficulter addiſcitur revolutis, quæ ſcripſimus num. XLI.

Ac in Britannia majori.

LXI. Quin & Britanni toto diviſi orbe noſtro ritus noſtri tenaces fuerunt. Miſſale Sariſberienſe, cujus excerptum dat Martenius pag. 417. cit. tract. de antiqua diſcipl. &c. cap. XXIV. *de ſabb. ſ. §.* XXIX. deſcribens ceremonias miſſæ talis diei habet: *Poſtea* [celebrans] *incipiat* Gloria in excelſis: *tunc omnes genuflectant exuentes cappas nigras, & pulſentur campanæ*. Nitidiùs ſtatuta Eccleſiæ Collegiatæ S. Bartholomæi de Tonge Lich. diœceſeos compilata ann. 1410. *In exequendis officiis Eccleſiaſticis tam Cuſtos, quam alii Presbyteri d. collegii in habitu ſe exhibeant uniformes*. Viz. *A feſto S. Michaelis quouſque* Gloria in excelſis Deo *incipiatur in Vigilia Paſchæ ... tam Cuſtos, quam Cappellani ejuſdem deſuper capis nigris cum ſuperpelliciis, & almiciis nigris more Vicariorum in Eccleſia** Sarum; *exceptis illis feſtis duplicibus, quæ ex ſua ſollemnitate proceſſionem habent ad unctam, & aliis duplicibus feſtis in Dominicis contingentibus ad proceſſionem, & ad miſſam tantùm; in quibus uti poſſunt capis ſericis, prout in ordinali* Sarum; *& à prædicta Vigilia Paſchæ uſque in craſtinum S. Michaelis dicti Cuſtos, & Cappellani in ſuperpelliciis cum almiciis appareant. Cuſtos verò cum ſibi honeſtum, & expediens collegio videbitur, uti poteſt almiciis, more Canonicorum in prædicta Eccleſia* Sarum. Hæc tom. II. Monaſtici Anglicani Willel. Dudgale p. 153. col. 2. poſtremi additamenti. Ibidem p. 167. col. I unum e ſtatutis an. 1422. pro Eccleſia Collegiata S. Joannis Baptiſtæ de Stoke-clare in agro Suffolcenſi noru-

* An *Sariſberienſium*?

Noruvicenſis diœceſ. eſt ut ſequitur: *Canonici utantur almuciis griſeis, & Vicarii nigris; & utrique capis nigris ſerico duplicatis ſive ornatis, & ſuperpelliciis albis, matutinis, miſſis, & aliis horis canonicis more aliorum collegiorum à feſto S. Hieronymi uſque ad Vigiliam Paſchæ: & deinde uſque ad idem feſtum utantur Canonici almuciis griſeis, & ſuperpelliciis albis ſine* capis nigris; niſi in miſſis, & exequiis defunctorum, & proceſſionibus, in quibus per ordinale aliter requiritur, & per idem tempus utantur ſuperpelliciis albis, & almuciis honeſtis, & conſuetis ſerico duplicatis, & furratis.*

LXII. Valeant cetera exempla. Satis innotuit quam communis fuerit olim Ritus baſilicarum apud Collegia Canonicorum. Ejus ſubſtantia in prælibatis ſaltem apparet. Neque ullus neget alicubi etiamnum illius veſtigia, ſeu potius perpetuum uſum incorruptè cuſtodiri. Hæreo num hoc affirmem pro Eccleſiis Antiſſiodorenſi, ac Noviomenſi, quas convenire cum romanis conſuetudinibus indigitat Nicolaus Deſnos, quum cit. op. lib.4. cap.VIII. in probationem veteris geſtationis albæ lineæ quotidianæ [cujus erit mentio inferiùs num.LXXV.] ait pag.406. *Moris etiam illius antiqui haud leve veſtigium agnoſcimus in majoribus quibuſdam Eccleſiis Urbis Romæ, ubi Canonici ſuper rocchetta geſtant etiam ſuperpellicea in choro, ſeu ſuper camiſias, ut illas vocant, romanus induunt adhuc veſtes lineas ampliores cum laxioribus manicis rotundis, quod etiam faciunt aliqui Cathedralium Galliæ Decani, veluti Antiſſiodorenſis, Noviomenſis, & alii*. De uſu Eccleſiæ Pariſinæ Grancolaſius p.337. cit. to.1. commentarii &c. *A Paris de le nou-*

Num aliquod collegium Canonicorum extra Urbem ſervaverit ad noſtra tempora priſcam conſuetudinem.

 vie-

* Ita legendum videtur non verò *ſive capis*, quod libranti ſenſum contextus, & diverſitatem temporum manifeſtum erit.

vieme ſiecle on quitte la chappe le ſamedi-ſaint à la benedictio des fonts iuſque après l'octave de S. Denys. Eccleſia Laudunenſis non receſſerat ab inſtitutis Patrum, quum Antonius Bellotte al. cit. collectionem rituum ex vetuſtiſſimis codd. digereret. Ibi Par. I. cap. I. pag. 2. num. 2. col. I. *Pro ratione temporis: hoc eſt; à Vigilia Paſchæ uſque ad Calendas Novemb. Canonici ſuperpellicium, & armilaazam* (ſeu almuciam) *deferunt. Ab ipſis verò Calendis uſque ad ſeſtum Paſchæ rocchetti, ſeu phelonis* [ſcil. *cottæ non manicatæ loco rocchetti* explicante eodem Bellotte obſervat. IV. n. 3. p. 30. col. 2. lit. D.] *& cappæ uſum obſervant panno rubei vel purpurei coloris ſubtectæ: Armilaaza quoque capiti ſuperinducta, pellibus etiam capitio circa collum inſutis, quæ in exequiis parentum etiam deſuper amiciuntur*. Parte V. cap. XIII. *de proceſſione ante matutin. in die Paſchæ* num. 2. p. 215. col. 2. *Canonici chorum intrant in albis, hoc eſt, ſuperpelliciis, armilauzis parati*.

Ritus noſter eſt ex ritibus palam approbatis ab Eccleſiâ.

LXIII. Antequam diſcutiam ex dictis mereatne ritus noſter ſumma diligentia ſervari: vel potiùs ad libitum privatæ authoritatis adhiberi, monitus ab aliquibus ex enunciatis documentis contendo eumdem annumerari debere inter ritus palam ab Eccleſia ſeu Eccleſiaſticis Præſidibus approbatos. Epiſcopos, Concilia, ſummos Pontifices appello numm. LVIII. LIX. LX. commemoratos. Sed firmius hujuſce rei argumentum elicitur ex ipſis baſilicarum monumentis. Romani Antiſtites obſervantiam controverſæ ceremoniæ approbarunt, quin & juſſerunt in Conſtitutionibus baſilicæ Vaticanæ, quarum obligatio tenet hactenus ejus Clericos: & in Conſtitutionibus cum recentibus, tum antiquis Eccleſiæ Lateranenſis. Verba Vaticanarum videantur num. LXX. Lateranenſium antiquarum num. LXXI. quo utiliùs afferuntur.

At

At recentium Lateranenſium textum nunc promamus ex earumdem libello impreſſo Typis Cameræ an.1728. Ibi pag.19. P.II. tit. *De divinis off. & ſervicio Eccleſiæ* num.XXII. & ſeqq. legitur. *Veſtis Canonicorum à primis veſperis omnium SS. uſque ad 1. Alleluja miſſæ ſabbathi majoris hebdomadæ ſit cappa lanea coloris violacei cum pellibus armellinis ſuper roccbetto. Beneficiatorum, & Cappellanorum, necnon Clericor. beneficiatorum cappa pariter lanea ejuſdem coloris cum pellibus cinericeis, ſuppoſito etiam roccbetto ſine manicis. A ſabbatho verò prædicto uſque ad veſperas vigiliæ omnium SS. Canonici induant ſuperpelliceum ſuper roccbettum. Reliqui, qui ſupra tantùm ſuperpelliceo utantur*. Ita Lateranenſes conſtitutiones, quas *viſas, perpenſas, & a probatas* per Benedictum XIII. teſtatur romani Concilii à ſecretis in Decreto ad præfati libelli calcem deſcripto pag.94. & ipſe ſummus Pontifex vulgatis literis, quarum ecgraphon occurrit ibidem pag.95.

LXIV. Si ergo ritus noſter eſt ab Eccleſia approbatus: ſi reſiduus generalis & communis uſus: ſi vetuſtiſſimus: ſi myſteriis paſchalibus ſignificandis conſecratus, quis non percipit prætermitti nullomodo ac alterari poſſe? Nullomodo ſubdi debere privatorum hominum arbitrio per laxam illam formulam, *ſi placuerit*, quam num.I. in anteceſſum tacitò reprobavimus? Ejuſmodi ritus *majoris momenti, & obligationis*, & proinde *ut decet obſervandi* non ineptè vocantur à Nicolao Bralion Par.IV.ceremonialis Canonicor. Ejuſmodi ritus *conſtanter retinendos* eſſe *ubi regnant* hortatur Mabillonius tit.XXI. pag.CXLII. commentar. præv. ad ordd. rom. Ad hos pertinent quæ ſcripſit Cardinalis Bona lib.I. rer. liturgic. cap.VI. n. III. *Debet unaquæque Eccleſia cuſtodire ritus ſuos, ſed receptos à majoribus, longoque uſu præſcriptos, & legi-*

Ob id ceteraque perpenſa cuſtodiri debet intacta ejus obſervantia.

gitima authoritate approbatos. Horum ſubverſores acriter reprehendit Siricius Papa in Epiſtola ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem cap. II. pag. 1018. to. II. Concilior. Labbei, ubi ſingulariter pugnat pro obſervantia rituum ſollemnitatis paſchalis, cujus *ſacram reverentiam* ait *in* NULLO *eſſe minuendam*.

Fundamenta ſententiæ oppoſitæ.

LXV. Obſignanda hic foret Epiſtola, VIR ORNATISSIME, quum poſtulatis tuis fecerim, quantum in me eſt, jam ſatis. Myſticum probavi ritum, & dignum, qui religioſè cuſtodiatur. Id an compleat omni ex parte quod à me poſtulaſti, quodque in proemio diſcutiendum innueram ipſe judicaveris. Ego certè omninò completum autumo. Nihilominùs, quia nulla fieri ſolet propriæ opinationis expoſitio, quam non ſequatur excuſſio adverſæ, priuſquam conticeſcam ad lancem veritatis appendam momenta mecum nequaquam ſentientium. Summa autem illorum, quæ ex frequenti cum iiſdem colloquio abundè comprehendi, hæc eſt. Ajunt myſticum aliquid recognoſcere in ritibus ac ceremoniis Eccleſiæ puerorum luſus olere, aut ſaltem commentum recentium ſcriptorum: eas ſingulas aut ob phyſicas, aut ob hiſtoricas rationes fuiſſe primitùs inſtitutas: ex his eſſe ritum noſtrum; quippe, qui videatur excogitatus ad opportunitatem anni temporum; videl. ad inſerviendum juxta majus, minuſve incommodum æſtatis, hyemiſque. Addunt quod, etſi myſticus eſſet, levis momenti cenſeri non irrationabiliter poſſit, & præverti in commodum Clericorum, cui aliquid indulgendum. Jactant eumdem incaute dici pervetuſtum, quum uſus habitus, ex cujus aſſumptione, ac depoſitione conflatur, manaverit à moderniori conceſſione Pontificum. Tandem affirmant arbitrarium eſſe, quem talem oſtendant Ceremoniale Epiſcoporum, & conſuetudo Sacelli papalis.

LXVI.

LXVI. Hic telorum cumulus, quibus caput noſtrum impetitur. Ne obruamur, ad repellendos ictus non eſt nobis tumultuariò, & inordinatè procedendum. Occurrendum primùm levioribus: refellenda ſcil. quæ magis generalia, & vaga ſunt argumenta. Quod ajunt adverſarii de puerilitate, & novitate eorum, qui myſteria introſpiciunt in ſacris ritibus petitum eſt ex officina Claudii Le-vert, qui primus ex catholicis authoribus auſus eſt apertè, & deſtinatò contra omnium ceremoniarum Eccleſiæ myſteria pugnare editis voluminibus quatuor ſub tit. *Explication ſimple, literale, & hiſtorique des ceremonies de l'Egliſe*. Sed audaciam illius jam plures Viri ſolidioris eruditionis fregerunt. Videſis opuſculum inſcriptum *Du veritable eſprit de l'Egliſe dans l'uſage des ceremonies: ou refutation du Traitè de Dom. Claude Le-vert*, & impreſſum Pariſiis an. 1715. necnon eximiam præfationem Petri Le-brun ad cit. alibi explicationem miſſæ. Ceterum, quemadmodum non probatur omnibus opinio ſingulas vel minimas ceremonias trahentium ad ſenſus myſticos [quod placuiſſe videtur fortaſsè nimium Innocentio III. Beletho, Durando, Bielio, & pleriſque aliis recentioris ævi præcipue Angelo Rocchæ ſeſe explicanti in præfat. ad opuſcul. de communione Summi Pontificis &c.] ita meritò exufflanda pertinaciter defendentium nulla eſſe in aliquibus myſteria. Extant Eccleſiaſticæ conſuetudines neutiquam myſticæ ſive ſymbolicæ. Extant, quas ab origine tales fuiſſe Patres antiquiores, & preces Eccleſiæ diſertiſſimè fatentur. Verùm inter has principes nuncupo quæ explentur paſchali tempore. Formulæ benedictionis cerei, & fontis; formulæ ceremoniarum baptiſmi, aliarumque ſabbatho ſanctiori celebratarum ſingulis fere verbis myſterium deſignant. Illuſtrius teſtimonium eſt, quod ha-

Myſtica pleraque in Eccleſiaſticis inſtitutis, præcipue ſollemnitatis paſchalis.

habet piiſſima precatio legenda ad pag.xii. orationalis Thomaſiani, quam retinemus hactenus in ſollemnitate Palmarum. *Da*, inquit, *quæſumus, Deus, ut tuorum corda fidelium ſalubriter intelligant quid myſticè deſignetur in facto*. Jungitur inde præclara explanatio myſteriorum, quæ ſuſpicit Eccleſia in ramis Palmarum, & frondibus olivarum; nempe victoriæ, ac triumphi Chriſti de morte, ejuſque miſericordiæ: poſtea: *Quod nos plena fide, & factum, & ſignificatum retinentes: Te, Domine Sancte Pater, Omnipotens, æterne Deus, per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſuppliciter exoramus, ut in ipſo, atque per ipſum (cujus nos membra fieri voluiſti) de mortis imperio victoriam reportantes, ipſius etiam glorioſæ reſurrectionis participes eſſe mereamur*. Quare nec novum, nec puerile aliquid attentavimus, ſi in facto variationis habitus choralis Clericorum conati ſumus myſteria reſerare, Eccleſia in aliis factis ſignificationes myſticas recognoſcente. Ex Patribus hoc ipſum hauriri poſſet. De re tamen explorata diſputent otioſi.

Ritus noſter non eſt levis. Quodſi ſecus: cavendum ne ſubvertatur.

LXVII. Argumentum à levitate deſumptum futile prorſùs ac leve eſt. Ipſe nego primum levis momenti dici debere ceremoniam tot titulis, quos perſtrinxi num.LXIV. decoram. Propterea illam *majoris momenti* appellavi. Fuerit verò levis, quod aliquomodo reſpectu graviorum ex paſchalibus affirmari valet. An idcircò omitti liberè, ac licitè poterit? Ritus eſt Paſchati proprius. V. cit. num. quantum reverentiæ optaverit ejus conſuetudinibus Siricius PP. Ritus eſt Eccleſiæ. De leviuſculis, ut videntur, ejus ritibus, hæc præfatio ad lib.III. Pontificii * poſtremi ceremonialis. *In his, quæ ad pietatem ſpectant, quod-*

nam

*V. editiones Venetam an.1573. aliaſque.

nam ſit minimum ; quod omitti jure poſſit, non video ...
Utinam hæc ætas tam conſtanter illa retineret, quam diligenter à majoribus & obſervata ſunt, & nobis veluti per manus tradita. Adde, quod periculoſum eſt, & initium graviorum errorum modicas ceremonias contemnere. *Qui ſpernit modica paullatim decidit*, ait ſpiritus veritatis cap. XIX. Eccleſiaſtic. verſ. I. Eximiè ad rem noſtram Joh. bapt. Thierſius cap. XXXI. diſſertationis gallicæ *ſur les Jubès* pag. 268. *Ie veux, que ces ceremonies ne ſoient pas importantes ; n'eſt pas à craindre, qu'en les mepriſant, qu'en les anneantiſſant ; on s'accoutume peu à peu à mepriſer, à anneantir celles, qui ſont importantes, & qu'on s'imagine par ſucceſſion des temps etre en droit de ſe diſpenſer de les garder ? Car comme dit l'Evangile* [Luc. XVI. 10.] *Celuy, qui eſt infidele, & injuſte dans les petites choſes, ferà infidele, & injuſte dans les grandes. Et qui deviendront enfin lès plus ſaintes ceremonies, ſi on ne reprime l'hardieſſe, & la temeritè, que l'on à, à retrancher celles, qu'on ne croit paſ importantes, quoiqu' elles les ſoient veritablement? Le petites choſes, dit admirablement S. Auguſtin* [lib. IV. de doctr. chriſt. cap. 18.] *ſont petites à la veritè ; mais c'eſt une grande choſe, que d'etre fidele dans les plus petites: quod minimum eſt minimum eſt ; ſed in minimis fidelem eſſe magnum eſt*. Uſque huc *ambonoclaſtis*, & quibuſcumque novatoribus infenſiſſimus Thierſius. De neceſſitate ſervandi ceremonias Eccleſiæ multi multa, præſertim Theologi controverſiſtæ, quorum lumen Card. Bellarminus. Sed, ſi vacat, conſule tom. I. Biblioth. Cornelii Schultingii P. II. capp. VI. VII. VIII. IX. &c. Nec advertere abnuas, quod ex ipſis noſtri temporis heterodoxis moderatiores deplorent aliquandò pronas hominum mentes ad novandas deſpiciendaſque ſacratiores conſuetudines ac ritus majorum. Exemplo ſit Guillelmus Beveregius in proe-

mio ad codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ illuſtratum p. 1. col. 1. volum. 11. collect. SS. Patr. temporum apoſtolicor. Joh. bapt. Cotelerii edit. Anturpienſis.

Turpe id agere ob commodum Clericorum. Ejuſmodi commoditas exitialis pleriſque ritibus,

LXVIII. Pudet nunc refellere, quod ſubolet ignaviam fratrum noſtrorum: argumentum nempe à majori minorive commodo, aut incommodo Clericorum emergens. Clamant relaxandum à ſeveritate obſervantiæ noſtri ritus, ubi Paſcha inciderit in dies remotiores ab æſtate, ſive nimium obnoxios hyemalibus rigoribus: tunc valdè incommodum eſſe in lineis albis ad eccleſiaſtica officia conſiſtere: contrà valdè commodum circumcingi laneis, & pelliceis cappis. An conveniat ſectatoribus militiæ Chriſti pro exequendis ad placitum laudabilibus uſibus prætendere putidulas haſce rationes dicant alii. Quod ego tacere nolo, ſenſim ob ignaviam Conſacerdotum innumeri ritus, iique præſtantiſſimi in diſſuetudinem abiere, aut fædiſſimè ſunt deformati. Ingemiſcimus ſuper hoc incaſsùm in alia tractatione noſtra. Sanè Roma plura ſuppeditat exempla. Quin ſola ipſa baſilica Calliſtiana. Numerabo ſingula in promiſſa hiſtoria. Neque hic duo ſilebo. Olim [teſte Hieronymo Avila circa initium præteriti ſeculi Protonotario apoſtolico de numero Particip. Canonico, & Vicario S. M. tranſtyb. in ms. libello ſummarii ſtatus ejuſdem Eccleſiæ cap. 34. *de ſervicio Canonicor. & Beneficiator.* pag. 16.] ibi *diebus feſtivis* cantabatur *poſt completorium* Salve Regina *ad altare B. Mariæ de Clementia*. Ritus iſte ſingularis diſcedendi e choro, ut obſequium Magnæ Virgini præcipuum ad ejus inſignem imaginem præſtaretur, dignè inſtitutus erat in baſilica, quæ omnium prima in Urbe publicas Filii Matriſque laudes ab ore fidelium exceperat. Ut autem mihi aſſeveravit ſenior, quem nove-

verim, Canonicorum Candidus Caſſina, obſolevit paullatim, quum ejus uſu gravari Clerus videretur. Eodem ſimiliter narrante, didici alium ita abrogatum ritum, qui tota quomdam frequentabatur in Eccleſia, & deſcribitur à laudato Præſule cap. *de Proceſſionib.* pag. 59. *Fit etiam* (hæc ille) *proceſsio à Capitulo per Eccleſiam diebus Dominicis ante miſſæ conventualis celebrationem, in qua Litaniæ cum precibus recitantur.* In Urbe eccleſia Lateranenſis unicè, quod ſciam, ſervat hunc ritum, cujus præſtantiam, originem, uſumque explanat fuſiſſime Le-brun cit. to. 1. explication. in tract. præliminari art. VII. pag. 85. Ut verò redeamus ad noſtrum, caveant ſubverſores ejuſdem, ne catalogum augeant fatalis hujuſce, & probroſæ ignaviæ. Si moleſtia frigoris urgeat, non deſunt artes viris Eccleſiaſticis *candidum paſchale* induturis, quarum ope diſpellatur, ſicuti non deerant antiquioribus Patribus, qui ſub linea veſte pelliceam componebant, de qua infrà. Deceſſores noſtri mæſta indumenta depoſuerunt conſueto tempore: & ex illis nemo unquam traditur in annalibus, aut regeſtis Eccleſiarum ob eam cauſſam ad ſuperos evolaſſe. Annon eodem, quo nos luto compacti erant? Num forte aſperiora facta ſunt tempora, vel frigidiora mortalium corpuſcula? Eccleſia alumnos ſuos non ita molliter inſtituendos, meo judicio, ſenſit unquam. Nunquam olim, quod mihi notum ſit, rigor obtinuit aeris, ut ceremoniæ ad aliquod vel minimum præſignandum myſterium invectæ per Eccleſiaſticos Præſides variarentur. Quin potiùs ipſa noſtra tempora ſumme ad indulgendum proclivia maximos peperere Antiſtites, qui veterum ſcientes conſtantiam vix orabiles fuere Clericis diſpenſationem quærentibus ſuper uſu Eccleſiaſtici habitus non adeò venerabili ſignificatione munito, quod comproba-

 bit

bit exemplum Clementis XI. inferiùs producendum.

Licet habitus Cleri baſilicarum ſit recentioris conceſſionis ritus noſter apud illas perantiquus eſſe jure dicitur.

LXIX. Retudimus leviora oppoſitorum ab adverſariis tela: Jam retundamus graviora. Verùm eſt quod jactant de recenti conceſſione habitus Cleri baſilicarum. Nicolaus V. primus, quod conſtet, cappa *magna*, ſeu *ampla* (quam vocant) cum rocchetto uti voluit Canonicos S. Petri. Extare bullam ſub dat. d. 5. Novemb. an.1455. in archivo baſilicæ Vaticanæ publicavit Turrigius de Cryptis Vaticanis P.1. pag.38. 2, edit. & Bonannus in libro de Hierarchia Eccleſiaſtica vernacula lingua ſcripto pag.434. cap.109. Ceterarum Urbis baſilicarum, & plurium Eccleſiarum extra Urbem Clerici ab aliis Pontificibus tale indumentum obtinuerunt. Superioribus ſeculis eo tantùm ornabantur Cardinales, Epiſcopi, & forſan alii inſignes Prælati. Ex illa autem priori conceſſione facta Canonicis S. Petri veroſimiliter effluxit ſtylus plurium literarum apoſtolicarum deſignandi in ſimilibus indultis morem ſolius baſilicæ Vaticanæ. V. exemplum hic num.LXXXII. Falſum tamen judicandum, & ineptum quod inde ſequatur ceremoniam, de qua agimus, apud baſilicas vetuſtate carere, ideoque tanti non eſſe eam accurate cuſtodire. Licet enim putaremus, ex quo ceſſavit uſus habitus vetuſtiſſimæ ætatis deſcripti præcedentibus numm. in iiſdem Eccleſiis ceſſaſſe pariter laudabilem ceremoniam: ubi revixit magna ex parte primigenius habitus, credendum eſſet non revixiſſe ſolùm eamdem; ſed & redintegratam ejus antiquitatis ideam, dignitatem, & obligationem: Convenientiam habitus à Nicolao V. conceſſi cum vetuſtiſſimo iterùm intuere in textu Thomaſiano ſub numero XXXVI.

LXX.

LXX. Quod adverſariis arriſerit hujuſmodi reſponſio vehementer dubito. Si firmiorem cupiunt, ſciant habitum, quo utuntur modò Clerici baſilicarum, parùm diſſimilem eſſe ab adhibito ante Nicolaum V. ſciant ante illum religioſiſſimè obſervatam depoſitionem veteris, novique aſſumptionem paſchalem, quod idem ſonat, ac ſi dixero obſervantiam noſtri ritus nunquam fuiſſe intermiſſam. Patent hæc ſingula, quæ mirè adſtruunt ejuſdem antiquitatem & excellentiam, ſi attentè legantur conſtitutiones duarum principum baſilicarum, quarum conſuetudines reliquæ olim ſectabantur, ut largiùs exponetur à nobis in opere de Hierarchia Cleri Urbis., præſertim ſacro Cardinalium collegio, & ſcholis palatinis inferioris, quod meditatum diù ad fidem priſcorum, certorumque documentorum opponemus aliquando, Deo dante, ſobeleſcentibus quotidie magis quorumdam ineruditorum hominum inſulſis opinationibus. Nicolaus III. edidit III. nonas febr. ann. D. 1278. Pontificatus II. celebrem conſtitutionem circa bona, ritus, & ornamenta baſilicæ Vaticanæ. Præ ceteris autem ſtatuit hæc de habitu Cleri, & tempore delationis. *Statuimus quod omnes baſilicæ Canonici in eccleſia, & in choro quando divina officia celebrantur, ac etiam aliis horis, præſertim in publico, cum eſt ibi advenientium multitudo, habitum habeant uniformem: à vigilia ſcil. omnium SS. uſque ad ſabbathum ſanctum ſuperpelliceas lineas deferant, cappas nigras de ſagia* (al. *ſegia*) *ſimplices; vel ſi voluerint, ſoderatas à cingulo, vel circa ex parte anteriori fixas inferiùs, & apertas: deindè verò uſque ad feſtum omnium SS. lineis togis ſuperpelliceis, ſeu cottis abſque cappis utantur, quod hactenus, ut accepimus, fieri conſuevit... Nunquam appareant in eadem, quin ſaltem ſuccas habeant, & ſuper eas chlamides ante pectus, vel*

Habitus, quo utebantur baſilicarii ante recentiùs conceſſum, ab hoc leviſſimè diſcrebat, & uti nunc, deponebatur, vel aſſumebatur. Verba conſtitutionum Vaticanar. nuperas conceſſiones præcedentium.

poſt

poſt collum annexas; licet gratius nobis eſſet, quod ſemper in eccleſia in eo, quem geſtant in choro, habitu apparerent. Sequitur conſtitutio de habitu *chori* Beneficiatorum, quem vult Nicolaus difformem non eſſe ab indumentis Canonicorum, *ſuccis, & capparum apertura exceptis.* Diploma tanti Pontificis, cui ad majus robur ſubſcripſere S. R. E. Cardinales, cui & contravenire nemo poteſt ob anathematis comminationem, legi impreſſum Romæ an. 1656. in ſylloge conſtitutionum S. Petri, curantibus baſilicæ Beneficiatis. Quod dedimus, excerptum affertur etiam ab Oderico Raynaldo ad an. præfatum, & repetitur, aut rememoratur à pluribus, præcipuè Thomaſſino cit. to. II. diſcipl. &c. P. IV. lib. I. cap. XXXVII. §. IV. Antonio Bellotte obſervat. IV. ad rit. Laudun. num. 1. col. 1. pag. 30. Joſepho Perrimezzio ol. Scalenſi ac Ravellenſi nunc Oppidenſi Epiſcopo in Parte 1. diſſertationum eccleſiaſticar. etruſcè ſcriptarum diſſert. IV. p. 119. Grancolaſio &c.

Et conſtitutionum eccleſiæ Lateranenſis.

LXXI. Gregorius XI. ſequenti ſeculo approbavit conſtitutiones Cleri Lateranenſis confectas per Petrum Cardinalem S. Mariæ novæ, Archipresbyterum, & Commendatarium baſilicæ, uti docet textus, & qui illas vulgavit to. II. Muſei Ital. Mabillonius notat pag. CXXXIX. commentarii prævii ad cit. ordd. rom. In eis ſic decernitur rubrica I. *de divinis off.* §. XIV. circa habitum, ſine quo ad ea celebranda Clericis ſub pœna excommunicationis interdicitur §. præcedenti ingreſſus eccleſiæ. *Et, ne quis imposterum de habitu valeat dubitare, ipſum præſenti conſtitutione duximus exprimendum: videlicet: quod ab hora illa feſti omnium SS. quando incipiunt veſperæ pro commemoratione defunctorum uſque ad vigilias reſurrectionis Dominicæ quilibet Canonicus ſtet indutus cum ſajetta ſeu roccbetto, cappa nigra*

ex * *almucia de griſis* , *ſeu de variis* ; *Beneficiati verò* , *& Cappellani* , *qui ſervire tenentur in choro* , *indutas deferant cappas nigras cum ſuperpelliceo ſeu cotta* , *& almucias de ſquillis nigris* : *ſed ſi Beneficiati* , *& Canonici maluerint capucia nigra parva ſine becchis* , *ſive almucias rotundas nigri coloris ſubtus cappas portare ſine aliis almuciis* , *hoc eis concedimus* . *In Vigilia Paſchæ ſtatim quando* Alleluja *verbum lætitiæ decantatur exuant nigras cappas luctuoſa pœnitentiæ tempora deſignantes* : *& ſuperpelliceas ſeu albas cottas induant ſupernæ vitæ gaudia deſignantes uſque ad feſtum SS. omnium illa* , *ſeu illas deponentes cum almuciis ſupradictis* .

LXXII. Viſis documentis , quod habitum ſpectat, accipimus apud baſilicas ante-paſchali tempore geſtatas nigras cappas *de fagia* ſuper rocchettum, ſeu ſuperpelliceum lineum ſive cottam , caputium , & ſpeciem almuciarum : paſchali verò ſuperpelliceas lineas togas ſeu albas cottas . Si conſtitutiones Lateranenſes appellant rocchettum *ſajetta* (quæ vox innuere videtur laneum potiùs quam lineum amictum) haud ſuadent fuiſſe illud aliud à ſuperpelliceo Vaticano . Utriuſque baſilicæ monumenta collata nimis perſpicuè inſinuant conformitatem habitus Cleri utriuſque , & eruditos non fugit inter ſpecies lini quamdam cenſeri lanæ molliculæ comparatàm ab aliàs laudato Patre Lamy p.499.apparat. lib.III. c.III. ſub nomine *Xilini* ſive *goſsipii* notàm , è qua forſan contexebantur,Gregorio XI. Pontifice , roquetta Lateranenſia . Nec , ſi conſtitutiones Vaticanæ nullam habent mentionem almuciarum, negandus eſt earum uſus Clero S. Petri ante Pontificatum Nicolai V. Ceremoniale R. E. (ſuo ſeculo etiam vetuſtiores ritis

Iiſdem collatis, præfatus habitus qui qualiſque eſſet exponitur.

* Legend. fort. &

tus complectente ejus authore Patritio Piccolomineo Pientino, Epiſcopo juxta notam declamationem Paridis de Craſſis videndam in muſæo Mabilloniano) geſtaſſe olim almucias Canonicos Vaticanos clarè teſtatur lib. 1. cap. III. ſect. V. Quod ſingulare teſtimonium etiamſi deeſſet ſic fuiſſe veroſimillimum cenſerem, ſuſpecta generali conſuetudine aliarum celebriorum Urbis Eccleſiarum. De almuciis Canonicorum S. M. tranſtyberim loquuntur ſtatuta Gerardi Landriani Cardinalis Titularis compacta an. 1441. Kal. Martii num. XXXI. quæ ſcripta in membrana extant authentica apud archivum baſilicæ; necnon ſtatuta Cardinalis de Turrecremata pariter Titularis innovata ſub an. 1561. d. 20. Decembris per Cardinalem ejus ſucceſſorem Othonem Truchſeſium de walsdburg cap. X. & XXIII. quæ ſunt in prædicto archivo, & inſerta volumini de reformatione Curiæ Urbis p. 79. in tabulario ſecreto-vaticano rom. Eccl.

Cappa recentior comparatur cum præcedenti.

LXXIII. Si modò comparaveris præexpoſitum habitum cum recentiùs conceſſo ſeu potiùs cum antiquiſſimo reſtaurato, quoad ſubſtantiam (ut ita dicam) unum eumdemque eſſe neceſſariò fateberis. Contemplare hìc aſſerta, quæque prodidimus num. I. & XXXVI. Quoad formam aliquantulum diverſa eſt cappa recentior ſeu pervetuſta: clauſa eſt ſcilicet, quæ pridem aperta. Sed hæc diverſitas tam levis momenti, ut Gabriel Pennotus veterum birrorum per Clericos adhibitorum ſupra lineas veſtes, quos vult *genus fuiſſe veſtis externæ, amplæ, & longæ ac fluentis*, ideam proponere intendens indiſcriminatim ſive promiſcuè illos æquaverit cappis noſtris tum antiquis, tum noviſſimis. *Credibile eſt formæ plus minùs extitiſſe, cujus nunc ſunt, vel quales olim erant cappæ, quas Clerici tum regulares, tum ſeculares in eccleſiis geſtabant; ac nunc etiam gerunt vel clauſæ, vel apertæ.*

 Mos

Mos enim erat olim in Eccleſia, ut Clerici etiam ſeculares cappas à parte anteriori apertas, & nigras deferrent à feſto omnium SS. uſque ad feſtum Paſchæ reſurrectionis excluſivè: Hæc in hiſtor. Clericor. Canonicor. lib. II. cap. 22. num. IV. & v. Pennotus ob aliqua tamen in cit. opere de Hierarchia &c. caſtigandus; quo ſimiliter diluentur ſomnia quædam Jacobi Lebetii Lavezolii, qui in tractatiuncula de habitu religioſo meminit lineas veſtes, uſuſque nonnullos baſilicarum ſupralaudatarum S. Johannis, & S. Petri. Parùm diverſa eſt etiam cappa recentior, etſi annexum habeat caputium, & pelliceum integumentum, quæ non apparebant in præcedenti; nam caputium, & pelliceum induſium nil aliud eſſe videntur, quam parva illa caputia in conſtitutionibus Lateranenſibus veluti diſcreta à cappis expreſſa, & almuciæ pelliceæ in unicum cum cappa veſtimentum conformatæ. Super modica diverſitate coloris utriuſque cappæ oſtendenda laborandum non eſt. De affinitate nigri & violacei coloris ſatis ſuperque jam num. XXXVII.

LXXIV. Modica ſimiliter diverſitas linearum ſeu albarum veſtium omnium ætatum. Conſentiunt eruditi quamplures roquetta, ſuperpellicea, cottas à linea κατὰ τὴν ἐξοχὴν *Alba* nuncupata profluxiſſe. Hæc manicis gravis, & talaris miniſtrorum ſacrorum *alba* remanſit, ſeu *camiſia*. Ubi decurtata eſt *brevior camiſia* (ut ait alib. cit. Thomaſius) ſeu *camiſia romana* aut *roquettum* eſt appellata communiùs. Ubi aut laxioribus manicis donata, aut ambabus diminuta eſt undulantem quaquaverſum veſtem exhibens frequentiùs *cotta* nomen obtinuit. Neque ulli ex his albis indecens & impropria *ſuperpellicei* denominatio: Olim enim Clerici, quum ad divina pergerent officia, togam ſubtus lineum indumentum gerebant ex agnorum pellibus confectam ad arcendum hyemale frigus;

Sequitur comparatio veſtium linearum.

 gus;

gius; unde intelligimus ſenſum verborum Concilii Colonienſis celebrati an. 1260. quibus vetatur Canonicis eccleſiam ingredi *ſine chorali pellicio vel veſte canonicali ſub ſuperpellicio*. Quæcumque ergo ex præfatis veſtibus ſuper ejuſmodi *pellicium* apponebatur rectè nuncupari aliquando potuit *ſuperpelliceum*. Originem & conformitatem cottæ, ac roquetti cum alba, ceteraque * mox aſſerta dilucidant Molinetus in notis ad cit. epiſt. CVI. Stephani Tornacenſis, Nicolaus Deſnos cit. opere de Canonico lib. IV. cap. VI. p. 396. & ſeqq. Joh. bapt. Signius de ordine, ac ſtatu canonico lib. 3. cap. 4. p. 260. Sarnellius cit. to. II. epiſtolar. epiſt. XXXI. pag. 70. Grancolaſius cit. comment. to. I. artic. *Des habits eccleſiaſtiques* pag. 334. & ſeq. Cæſar Benvenuti in diſquiſit. VIII. cap. II. inter diſquiſitiones additas calci italici diſcurſus de vita communi Clericor. edit. 2. aliique benè multi. Quibus ob oculos verſantibus, quum tibi offeret conſtitutio Vaticana Canonicum indutum antepaſchali tempore lineum *ſuperpelliceum* ſubtus cappam: & circumamictum *roquetto* cum cappa conſtitutio Lateranenſis, quam leviter diſcrepet ab eodem noviſſimus indutus poſt conceſſiones nuperas lineo roquetto, & cappa, necnon primævæ inſtitutionis Clericus *alba*, *& planeta* ornatus optimè dijudicabis. Iterùm, quæſo, adi num. XXXVI. Quum verò videris in Paſchate Clericos baſilicarios cottam aſſumentes annon in illis ſpectabis præcedentes ætatem Nicolai V. Clericos, tum qui juxta conſtitutiones allegatas *lineis togis* ſeu *ſuperpelliceis albiſue cottis* decorabantur, tum

---

* Ambiguitas & conformitas dictionum *ſuperpellicei*, *cottæ*, *rocchetti* attingitur ab eruditiſs. Hieronymo Baruffaldi in commentariis ad rituale romanum editis an. 1731. tit. II. num. 46. p. 12. col. 2. ubi & aliqua dicuntur analogiam comprobantia formæ veterum ſuperpelliceorum cum antiquis planetis monitam à nobis num. XXII.

Digitized by Google

tum qui *candidis* ſive *albis paſchalibus* juxta tradita num.XXI. perantiquæ conſuetudinis documenta .

LXXV. Diverſitatem formæ linearum veſtium vix in prælibatis recognovimus. An differret illarum uſus graviuſculè fortaſſe dubium. Nunc in Paſchate Clerici ſublimioris ordinis in baſilicis duplici veſtiuntur alba: ideſt cotta, & rocchetto. Forſan circa tempora Nicolai V. unico ſuperpelliceo ſive cotta ornabantur, quod colligi poſſe videtur e ſilentio bullæ Alexandri IV. dat. Anagniæ XII. Kal. Maii an. Pontif. VI. & aſſutæ diplomati Eugenii IV. dat. Florentiæ an. incarnat. dom. 1439. Pontificatus IX. XV. Kal. Junii compellentis omnes Urbis Clericos eccleſiarum ſervicio addictos ad petendum ſupplicabundo ritu baſilicam Vaticanam in die S. Marci, ut accipiant presbyterium. *Decernimus* (inquit Alexander) *ut Canonici tam ſeculares, quam regulares, & monachi omnium Patriarchalium eccleſiarum cum crucibus, & aliis inſigniis conſuetis: eccleſiarum verò Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium, & Monaſteriorum cum crucibus propriis, & vexillis: Archipresbyteralium autem eccleſiarum, Prioratuum, & Cappellarum exemptarum.... Clerici quoque aliarum Cappellarum .... induti veſtimentis ſericeis, aut ſuperpelliceis, ſive cottis in eodem feſto veniant proceſſionaliter annuatim ad baſilicam ſupradictam*. Integras utriuſque Pontificis literas erutas de archivi Vaticanæ eccleſiæ capſa 5. faſcic. 262. damus cum explanatione P. II. ſ. Ct. IV. §. 4. & 5. in opere de Presbyterio. Ibi oſtendetur Canonicos baſilicarum non ex illis fuiſſe, qui veſtimentis ſericeis induerentur: propterea certum cotta fuiſſe indutos, ut reliqua Clericorum turma. Hæc dico ne interpreter violentiùs forſan quam deceat verba conſtitutionum Vaticanarum, quæ ajunt *lineas togas ſuperpelliceas, ſeu cottas* aſſumptas in vigilia Paſchæ

An Canonici baſilicarum tempore paſchali geſta rent duplicem lineam albam ante Nicolaum V.

 per

per Canonicos S. Petri. Etenim ſi illic particula *ſeu* accipiatur copulative (ut accipi debet in pleriſque ecclesiaſticis monumentis ætatis, & latinitatis minùs cultæ, veluti in epiſtola Anaſtaſii Abb. S. M. tranſtyb. apud Florav. Martinellum cap. XIII. Romæ ſacræ, Mabillonium to. I. Muſei Italici, Ciampinum &c. Documento V. relato in calce mox rememoratæ elucubrationis de Presbyterio, aliiſque) duplicem albam concedamus neceſſe erit Canonicis baſilicarum etiam ante poſtrema indulta. Congruerent huic interpretationi, quæ habet conſtitutio Lateranenſis. Quandoquidem, quæ mandat exui ſub Paſchate nigras cappas, & aſſumi albas cottas, ſilet penitus depoſitionem rocchetti, quod ſub cappa pridem geſtandum edixerat. Congrueret pariter vetus uſus Clericorum deferendi vel quum prodirent in publicum, domive ſtarent, ſeu in conventibus eccleſiaſticis albam, quam vocabat *quotidianam*, dum * prohibebat illa uti Sacerdotes in ſacris obeundis myſteriis ann. 889. Synodus Sueſſionenſis, quæque veroſimiliter erat conſueta geſtari ſub cappa ſecundùm allatas conſtitutiones nomine *roquetti*, *& ſuperpellicei* diſtincta. Ea quum vetuſtiſſima ætate deferretur a quibuſcumque Clericis ſaltem in choro, quid vetat ut credamus per ſequiora ſecula in baſilicis, in quibus deferebatur ſub cappa à majoribus Clericis, delatam etiam fuiſſe ſub alba paſchali? Priſcam multiplicitatem linearum pro quibuſcumque Clericis præſertim inſignioribus perantiqua commonent ſcripta. Conſule ordines romanos Mabillonianos præcipuè v. ad tit. ſeu cap. I. II. &c. Quæ ſuperſunt aliàs Eccleſiæ conſue-

* De Inhibitione hujus albæ quotidianæ in uſu miſſarum vide alia PP. teſtimonia apud diſquiſit. III. cap. I. artic. VIII. §. III. p. 415. operis cui tit. *diſquiſitiones de Canonicor. ordine* Patris Alani Le-Large,

ſuetudines duplici alba Clericos aliquando amictos concipere demonſtrant rem non eſſe abſurdam. Sacerdos nunc miſſam celebraturus antequam induat *albam* induit *roquettum*, *ſi ſit Prælatus ſecularis; ſi ſit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos ſecularis, ſuperpelliceum, ſi commodè haberi poſſit.* Ita cap. I. rituum ſervandorum in celebratione miſſarum tit. *de Præparat. Sacerdotis celebran.* num. 2. rubricæ præpoſitæ miſſali romano. Nicolaus Deſnos inter multos loco cit. ſub num. LXII. varia conjicit de linea quotidiana Clericorum facili accommodanda ſententiæ noſtræ, quæ ſtudio brevitatis hic non expendimus.

LXXVI. Fuerit verò (quod nobis non placet) antiquior ævo Nicolai V. Canonicus baſilicarum Urbis * unica indutus alba tempore paſchali, exploratum erit ritum noſtrum nunquam intermiſſum; & hinc ejus antiquitatem perperam in dubium revocari. Dimiſſa mæſtitiæ cappa, per illum uti nunc aſſumptam lineam candidam ad *Alleluja* primum ſabb. ſancti nimium apertè produnt allegata documenta ſimul collata. Taceo myſticam ſignificationem, quum ejus meminerim LIII. num. Hæc autem concordant, quantum conjecturis conſequi licet in rebus antiquiſſimis, cùm uſibus vetuſtioris Eccleſiæ. Quicquid per intermedia ſecula irrepſit diverſi, quod reſpicit ha-

Quod certum, ritus, de quo agimus, nunquam intermiſſus eſt in baſilicis.

* Poſt completam diſceptationem legi §. XV. cap. 2. lib. V. tomi I. operis de Liturgia rom. Pontificis vulgati an. 1731. à Dominico Georgio felices conjecturas de *succis* in conſtitutionibus Vaticanis commemoratis, quas ſi adoptaverit lector, per aliam viam aſſequetur veritatem ſuper uſu rocchetti apud Canonicos S. Petri ante Pontificatum Nicolai V. *Succas* enim ſpeciem camiſiæ lineæ quotidianæ, ſive rocchetti interpretatur Vir eruditus. At de his aliàs nos conſultiùs. Favet ſanè conjecturis ejuſdem mos hodiernus Beneficiatorum non deferendi rocchettum ſimile rocchetto Canonicorum collatus cum denegatione uſus *ſuctarum* pro Beneficiatis apertè mandata per laudatas conſtitutiones. Revide hic num. LXX.

habitum, ut dixi, verſatur ſolum circa formam, modumque. Ritus, & habitus ſubſtantiam ſervarunt illibatè Patres noſtri. In uſu quidem ritus quod διάφορον adverti, eſt continuatio geſtationis albæ paſchalis ut plurimùm uſque ad Kal. Novembris, quod ignotum arbitror Clericis vetuſtioris ævi planetam ſeu cappam antiquiſſimæ formæ, & coloris adhibentibus toto anni tempore, paſchali excepto. Denuò memoranda & conferenda concinnata ſuperiùs n.xx. & ſeqq. necnon xxxvi.

Monachi authores feruntur alicujus diverſitatis, in uſu cappæ. An authores cappę ætatis mediæ?

LXXVII. Opportunum hic eſt & forſan neceſſarium pauca loqui de authoribus ejuſmodi diſcriminum. Sed neminem latet aut Monachos fuiſſe, aut Clerico-monachos ſeu Clericos canonicos Clericis priſcæ normæ ſubrogatos, & alicubi quandoque permixtos, ut comperietur ex producendis in opuſculo noſtro de Hierarchia &c. Landtmeterus aſſumptionem cappæ ſub Kal. Novembris originem traxiſſe opinatus eſt ab uſibus monachalibus. V. lib.I. cap.VI. operis citati num.XLIX. Fratres Macri in Hierolexico ad verb. *cappa* hujus conditores Monachos efficiunt. Nec ab iis diſtabat opinio Benedicti Haefteni in diſquiſitionibus monaſticis lib.v. tractat.VII. pag. 511. col.I. dicentis: *A Monachorum ordine veroſimile eſt Canonicos deſumpſiſſe nigram illam cappam, qua a Kalendis Novembris uſque ad Paſcha uti conſueverunt.* Quod minimè diffitendum, ſuperſtites aliquot veteres picturæ monaſticam cappam præſeferunt qualem Canonici Vaticani, & Lateranenſes, aliique extra Urbem ſupra enunciati geſtaſſe perhibentur.

Certiores authores diverſitatis veſtium canonicalium aliarumque in baſilicis habendi ſunt Canonici regulares.

LXXVIII. Attamen veroſimilius puto Canonicos regulares ſeu Clerico-monachos, qui forſan à Monachis quoad veſtes, earumque uſus aliquid acceperunt (ſive illi ſint quorum ſuperſunt adhuc variæ Societates, ſeu Congregationes regulam Augusti-

ni-

nianam expreſſius profitentes ; aut illi, de quibus tantùm loqui credunt Concilium Aquiſgranenſe coactum an.816. Reynerus in lib. de Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia, & Aubertus Miræus pag.130. & 139. codicis regularum, & conſtitutionum clericalium in notis ad regulam Canonicorum, quum omnes, ad veſtes quod attinet, videlicet induſium lineum & cappam choralem, haud dubie convenerint) Canonicos, inquam, regulares proximiores fuiſſe authores diverſitatum, quas expoſui. Certè ex illis (uti copioſè afferenda in allegata tractatione de Hierarchia &c. manifeſtabunt) natale duxerunt ſaltem in romanis baſilicis Collegia Canonicorum, qui nunc *ſeculares* appellantur. Liquet autem ex conſtitutionibus totius ordinis Canonicorum regularium excerptis locatiſque num.LV. ritum noſtrum ſecundùm conſuetudinem hodiernam baſilicarum apud eoſdem expletum fuiſſe. Liquet habitum & illos induiſſe choralem, & alicubi etiamnum induere ſimillimum deſcripto in cit. conſtitutionibus Lateranenſi, & Vaticana, ceteriſque Canonicorum regularium documentis. Hanc habitus ſimilitudinem mirificè comprobant multiplicis ſpeciei imagines Clerico-monachorum elegantiſſimè inciſæ in catalogo ordinum religioſorum, & in libro eccleſiaſticæ Hierarchiæ pluries laudati Bonanni. Apud nonnullas illicò (ſi utrumque opus reviſes) deprehendes aut roquettum, aut albam vetuſtiorem lineam, choralem cappam, caputium, & almucias pelliceas, denique ſingula in prælibatis ſcriptionibus deſignata.

LXXIX. Inter diverſitates nulla certiùs, opinor, à Canonicis regularibus in uſus Clericorum proceſſit, quam uſus almuciarum. Aſſentiri enim non poſſum reputantibus cum Joh. Molano in libello de Canonicis lib.III. cap.V. aliiſque almucias Canoni-

De almuciis aliiſque pelliceis tegminibus id præcipuè intelligendum.

nicorum indumentum primò fuiſſe Monachorum remotioris ævi. Quicquid ſit de pellibus adhibitis per Monachos, aut per alios hominum cætus, almuciis noſtris paſſim Canonici regulares, inde ſeculares uſi ſunt. Rurſum inſpicias catalogum Bonanni. Ex quo contendo inſtitutores veroſimillimè fuiſſe almuciarum clericalium Canonicos regulares. Idem judico de pelliceis quibuſcumque extimis choralibus tegumentis. Porrò alicubi non ipſæ tantum almuciæ pellibus exteriùs componebantur; ſed & ipſæ cappæ, & caputia, quod tibi peropportunè declarabunt Bonanni imagines.

Ea ad arcendum frigus ſingulariùs inſtituta.

LXXX. Cur verò pellicea indumenta canonicis veſtibus adjuncta ſint propalat notus omnibus uſus almuciarum. Modò ſupra caput almuciæ aptabantur, modò ſubtus cappam, modò circa armos, ad libitum videl. Canonicorum hyemali tempore: ſuſtentabantur autem ut plurimùm brachio ſiniſtro tempore æſtivo. Denotant hæc ob reprimendum frigus primariò adinventas noſtras almucias, quæ, quum ornamenti ſpeciem præſeferrent extra mæſtum veſtimentum cappæ, mirandum non eſt ſi illarum delatio toto anno concederetur. Ceterùm frigus tribuiſſe cauſſam tum almuciis, tum reliquis tegminibus Clericorum regularium, ſive quæ aſſuta erant cappis, ſive caputiis, exploratum facit ſingularis & communior earum conſuetudo apud regiones aſperitate frigoris moleſtiùs vexatas, puta Poloniam, Germaniam, Gallias, Angliam &c. Videſis iconas cit. catalogi Patris Bonanni num. IV. XI. XXI. XXII. XXVI. notatas. Nec obſtat quod eadem conſuetudo appareat in Canonicis etiam regionum clementioris aeris. Nam quum veroſimiliter ubique ſub albis olim tegumenta pellicea ob depulſionem hyemalis frigoris (quod præfati ſumus num. LXXIV) adhiberentur, quando pro-

pagari cœpit uſus exteriorum, hæc profligatis occultis, utpote ſuperfluis, ad idem munus ſucceſſerunt; accedente præſertim opinione, quod per eadem decor, nobilitas, & diſtinctio perſonarum demonſtraretur, ne quidquam memorem de myſtica paſſim illis attributa ſignificatione. Natum hinc, quod Epiſcopi, aliique, à quibus religioſiùs vetuſtior choralis habitus ſervatus eſt, illum circumſepſerint pellibus. De almuciis, ſeu *armuciis*, aut *armilauzis*, ceteriſque pelliceis tegminibus quamplurima legi in lexicographis, authoribus de re veſtiaria, vel monaſtica, & canonica, ſcriptoribus liturgicis, ac juridicis veritati hiſtoricæ quandoque contraria. Sed hæc in trutina ponentur in opere noſtro, de quo num. LXX.

LXXXI. Neque, ſi ego pelles capparum inſtitutas affirmo præcipuè in gratiam frigoris, tacitò conſentior adverſariis opinantibus cappas chorales habitus eſſe hyemis conditioni deſervientes; æſtatis verò lineas albas cottas; propter eaque ad libitum differri poſſe harum aſſumptionem, illarumque depoſitionem. Mos enim recentior attexendi clericalibus planetis, ſeu cappis pelliceum hoc tutamen adverſus frigus tanti roboris non eſt, ut deſtruere valeat compertam hujuſmodi veſtium indolem, & rationem earumdem uſus myſticam, habentemque toto cœlo diverſam ideam, quæ latiſsimè probata ſunt ſuperiùs. Sit pelliceus amictus propter hyemem (cui de cetero aliis artibus occurrere poſſumus, ut commonitùm num. LXVIII.) invectus, non hæc origo & inſtitutio cappæ. Sint albæ lineæ rigoribus hyemalibus adverſæ, & æſtivis caloribus accommodæ; in eccleſiaſticis actionibus hæc parùm attenduntur, quum de illarum uſibus agitur certâ præſertim origine conſtantibus.

Non hinc tamen inferendum cappas, & lineas cottas adhiberi poſſe prout æſtatis, & hyemis aſperitas poſtulaverit.

Probatur ex aliis uſibus harum veſtium in romana Eccleſia. Canonici baſilicar. non ubique Romæ deferre poſſunt cappam, quum ejus delatio juriſdictionem importet.

LXXXII. Rem ita eſſe alii talium indumentorum uſus juxta ſignificationes e recentioribus placitis ſubinductas perpulchrè oſtendunt. Ex illis unum obſerva. Extra Urbem collegia Canonicorum eccleſiarum cathedralium non intra eaſdem tantummodò cappas deferre poſſunt, ſi illarum uſu gaudeant, teſtibus (apud to. II. Ital. ſacræ Ferdinandi Ughelli pag. 823. 2. edit. in Epiſcopo Maceratenſi 27. Felice Card. Centino) literis Urbani VIII. quibus indulſit Capitulo & Canonicis eccleſiæ Maceratenſis, ut geſtarent in omnibus actibus *tam publicis quam ſecretis, quibuſcumque anni temporibus* [de hac formula inferius] *& diebus, ac aliàs quandocumque, ubicumque, & quotieſcumque opus fuerit cappas violaceas cum pellibus armellinis, ac rocebetto ad inſtar Canonicorum baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe*. At Romæ Canonici Patriarchalium, & inſignium baſilicarum collegiatarum. Solùm infrà ambitum ſuarum eccleſiarum cappas jure induunt, generali iſtarum uſu à Cardinalibus exercito: quia, quum nunc geſtatio cappæ juriſdictionis ſymbolum ſit in deferentibus [quod immeritò nonnulli inſitiantur ICti ornamentum unicè, & ſignum diſtinctionis inter ordines Clericorum ſpectantes non in rocchettis tantùm, & almuciis, ſed etiam in cappis, ut videre eſt apud diſceptationem eccleſiaſtic. 49. num. 9. Franciſci Mariæ Pitonii, animadverſiones Jo: Jacobi Scarfantonii num. 31. ad tit. VII. lib. I. lucubrationum canonicalium Franciſci Ceccoperii, aliaſque legales collectiones examinandas à nobis alibi] Cardinales hanc generaliter juriſdictionem Romæ poſſident, veluti propriè ac plenè conſtituentes * romani Antiſtitis Presbyterium. Fac ergo

* Id perampla diſſertatione demonſtrabitur in opere de Hierarchia Cleri Urbis &c. qua diſcutietur inter plura:

ergo Patriarchalium, aut inſignium eccleſiarum collegia alicui ſolemni actioni ſæviente hyeme interſint extra præfatum ambitum: tunc lineis cottis ſolum utentur ſuper rocchetta, communi ſcilicet extima veſte Clericis omnibus, nec juriſdictionem importante.

Etiam hyeme ſæviente extra eccleſiam propriam ſolis lineis utuntur.

LXXXIII. Nugas hic à me venditari ne ſuſpiceris, accipe exempla. Canonici, & Clerus S. Petri [illius nempè baſilicæ, quam normam, ſpeculum, & magiſtram ceterarum exiſtimatam uſque ad noſtra tempora probamus pluribus P. 1. ſect. 1. §. 11. & ſeqq. tractationis de Presbyterio] miſſæ, quam cantant in eccleſiis unitis S. Bartholomei Bergomenſium d. 15. Novembris feſto S. Macuti: S. Catharinæ de Rota d. 25. ejuſdem menſis: S. Blaſii ad viam Juliam d. 3. Februarii: Et S. Balbinæ fer. III. infrà hebdomaden II. Quadrageſimæ, adſtant quotannis ſine cappis, fremat quamvis brumalis rigor. Anno 1701. 7. die Januarii poſt horam II. noctis Canonici, & Clerus baſilicæ Lateranenſis induti ſolas albas Ludovici Grimaldi Principis Monachi Oratoris Ludovici Magni deſumptum cadaver e templo S. Mariæ transtyb. aſſociarunt ad eccleſiam S. Ludovici nationis gallicanæ. Canonici, & Clerus S. Mariæ transtyb. tali obſequio ſunt proſecuti an. 1709. d. 14. Januarii cadaver Cardinalis Titularis, & ſummi Pœnitentiarii Leandri Colloredi devectum debita Pœnitentiariis pompa ad eccleſiam S. Mariæ in Vallicella. Nulla

An Canonici trium Patriarchalium ſint verè Canonici Cathedralis romani Antiſtitis; vel potiùs ſint collegia Canonicorum miniſtrantium in Patriarchalibus (prout alii Canonici in Titulis, & Diaconiis collegiatis) vice & loco Cardinalium gravioribus Eccleſiæ negociis occupatorum.

An collegium Canonicorum eccleſiæ Lateranenſis rectè & propriè appelletur Capitulum romanum.

verò mentio capparum in deſcriptione, quæ habetur in Diariis al. laudati Candidi Caſſina Præfecti ceremoniis pontificiis, & Prioris Canonicorum ejuſdem tranſtyberinç baſilicç. *Deinde* [ſic ille recenſitis agminibus confratrum, & ordinum religioſorum] *viginti Presbyteri: Camerarius Cleri cum ſtola à dextris Parochi pariter cum ſtola. Poſtea Clerus, Beneficiati, & Canonici baſilicæ S. Mariæ tranſtyb. cum propria cruce, & papilione, & ego tamquam antiquior in ultimo loco cum ſtola. Deindè cadaver ſacris paramentis violaceis indutum &c.* Inter generales Cleri univerſi, & ordinum Curiæ, & Pontificis ſupplicationes crudeſcente hyeme peractas inſignis, quæ à præfatâ eccleſia S. M. tranſtyberim, regnante Clemente XI., ad Vaticanam deducta eſt an. 1703. d. 7. Februarii, communes preces poſcentibus terræ motibus, quibus Roma, & Eccleſiaſtica ditio quatiebatur: memorabiles inſuper, quæ actæ ſunt menſe Decembri ſummo mane anno 1726. pro Canonizatione octo Sanctorum ſub Benedicto XIII. à ſacello palatii ad templum Vaticanum. In his autem teſtabitur nemo ſe vidiſſe Clericos majorum eccleſiarum cappis circumdatos.

Occurrimus exemplis, quæ adverſus dicta opponi poſſunt

LXXXIV. Notum mihi quotannis Capitulum, & Clerum baſilicæ Liberianæ, poſt cantatas horas curſus eccleſiaſtici infra eamdem, ritu ſupplicabundo, nec depoſitis cappis procedere ad ſacram ædem S. Bibianæ die 2. Decembris, & ad S. Pudentianæ die quadrageſimalis Stationis, in quibus miſſam ſollemniter celebrant. Sed & mihi notum hæc agi, attenta ſingulari ſubjectione talium locorum baſilicæ matri, & eorum propinquitate, ac ſitu intra limites apicis Eſquilini, præter opinionem, quod ejuſmodi actiones habeantur quaſi proſecutiones divinorum officiorum in baſilica complendorum. Et quidem Cappellæ ſub finibus diœceſeon eccleſiarum matricium, quæ

ve-

veterem ac indubiam iiſdem profitentur ſubjectionem, cum ipſis unum corpus efficere videntur, quod accuratè tractabitur in memorato toties opere de Hierarchia &c. Quare choralis quicumque tempori conveniens habitus non incongruè in hiſce Cappellis geſtatur à Clericis matricium. Nec, ſi cappa illis diebus geſtata ſit in prænarratis locis à Canonicis, ceteriſque clericis Liberianis, facili reprehendendum, aut allegandum adversùs hactenus dicta. Injuſtè etiam quis allegaret, quod Canonici, & Clerus S. Petri perrexerint die 10. Martii an. 1724. ad palatium Vaticanum, & illinc [quod moris eſt haud noviter inducti] ad baſilicam detulerint corpus Innocentii XIII. cappis minimè dimiſſis. Nam palmaris id fuit error, fortuitò verosimiliter ortus, improbatus peritis, oppoſitus veteri praxi, imò poſtremo actui, quo cadaver Clementis XI. d. 21. Martii an. 1721. delatum fuerat, iiſdem Canonicis, & Clero lineas veſtes indutis, demum emendatus hoc anno 1730. die 23. Februarii in deportatione corporis Benedicti XIII. rem præmaturè monentibus apoſtolicæ Sedis Ceremoniariis. Nihilo magis valet exemplum Canonicorum, & Cleri baſilicæ Lateranenſis, qui hoc eodem anno in eccleſia S. Agnetis ſita ad circum agonalem de jure patronatus Pamphiliæ gentis, quum celebrari deberet die 24. Martii funus Cardinalis Benedicti Pamphilii eorum Archipresbyteri [Sede tunc vacante, & Cardinalibus conclavi detentis] intereſſe cupierunt miſſarum ſollemniis; idque præſtiterunt cappis ornati, perinde ac ſi eſſent in propria eccleſia. Siquidem hoc eveniſſe ſciunt omnes connivente Patrono, & abſque ſcientia, examine, aut indulto Præſidum legitimorum.

LXXXV.

Propter frigus delata aliquando cappa extra propriam eccleſiam ex indulto tamen ſpeciali romani Pontificis.

LXXXV. Et ſane indulto ſingulari Papæ opus eſſe, ubi ritè, ac aperto, nec emendicato jure tale quidpiam fieri velit, monſtrat hiſtoria translationis cadaveris Horatii Albani germani fratris Clementis XI. quam deſcribere ivvat ex ephemeridibus cit. Candidi Caſſina. *Hora* $2\frac{1}{4}$ *noctis* (hæc Vir noti candoris enarrans acta die 24 Januarij an. 1712.) *corpus bo. me. Domini Horatii Albani ſacco Stygmatum indutum in feretro ejuſdem Archiconfraternitatis . . . . poſitum ad baſilicam S. Mariæ tranſtyb. hoc ordine delatum fuit. Præcedebant Archiconfraternitates Stygmatum , S. Tryphonis, & Oratorii S. Mariæ tranſtyberim ſub eorum inſignibus cum duobus intorticiis pro uno quoque inſigne. Poſtea unica Crux baſilicæ S. Mariæ tranſtyber. cum quatuor intorticiis ; ſub qua proceſſerunt Religioſi S. Franciſci ad ripam , S. Petri in monte aureo , Monachi omnes S. Bernardi , S. Pudentianæ , S. Sebaſtiani, Presbyteri, & Curatus S. Suſannæ à dexteris Curati S. Mariæ tranſtyb. ambo cum ſtolis : poſtea Clerus, & Capitulum S. M. transtyberim una cum R. P. D.* (Carolo) *Collicola* Protonotario apoſtolico Vicario , & ultimo loco incedebam ego ſolus cum ſtola . Pontifex maxima benignitate indulſit , ut cappis uti poſſemus , prout fecimus , ad nocturnum frigus repellendum . Poſtea ſequebatur feretrum delatum à confratribus S. Tryphonis ad caput , & Stygmatum ad pedes , ardentibus hinc inde 160. intorticiis . Poſt feretrum ſequebantur omnes Palatini , & affines defuncti , & ad latera viginti Parafrenarii Papæ cum intorticiis , & ultimo loco currus D. Horatii . Omnes candelas mediæ libræ habuerunt . Nos verò Canonici habuimus unius libræ . In præfata noſtra eccleſia ſtolam , & cappam dimiſi : deinde ſumpta ſtola, & pluviali abſolutionem prout in Rituali perfeci*. Longum iter à palatio Albanorum Quirinali ad S. Mariam

* Obijt an 1731. S. R. E. Cardinalis .

ſtam tranſtyb. peragendum cauſſam dedit petendo indulto.

LXXXVI. Eò tendunt hucuſque dicta, ut perſpectum fiat quam parum Eccleſia in uſu habituum choralium ſtabiliendo attenderit anni tempeſtates, ac viciſſitudines aeris. De reliquo, quod mutationem paſchalem inſtituens nullo modò æſtatem ſeu (ut rectiùs loquar) æſtatis calores inſpexerit, meditatio aperit temporis, quo eadem completur. Fit hæc variatio ad 1. *alleluja* in ſabbatho præcedente Paſcha, quod modò citiùs, & rigente aere, modò tardiùs, ac tepidiore jam prævalente, celebratur: videlicet aut menſe Aprilis, aut Martii, ſemper ſub diverſa dierum nota. Sed æſtas latiori captu ſumpta orditur ab æquinoctio verno XII. Kal. Aprilis: deficit in æquinoctio autumnali ad XII. Octobris, quando incipit hyems, atque ita complectitur ſex anni menſes: juſtiùs verò expenſa ad tres tantùm coarctatur, qui incipiunt Junio, deficiunt Septembri. Has æſtatis diviſiones (de quibus l. 1. §. *æſtas ff. nequid in flumine publico*, & L. 1. §. *æſtatem ff. de aqua quotid. & æſtiva*, & gloſſæ Accurſii, aliorumque Juriſprudentum) nobis veteres tradidere. Nec defuere, qui æſtatis initium affixerint prioribus Maij diebus. Novidius in faſtis ſacris lib. V. pag. 56. ſiſtens in uſibus, & opinione diei VIII. cecinit,

Interea ſylvis frondentibus incipit æſtas:
Atque ſua exacto tempora vere redit.

Collato æſtatis initio cum momento variationis noſtræ paſchalis certum fit nihil hanc habere commune cum æſtivis, & hyemalibus aeris viciſſitudinibus.

LXXXVII. Fateor quidem habitum, qui aſſumitur ſub Paſchate dici poſſe habitum æſtivum; quum poſt paſchale myſticum tempus ejus uſus (ex recentiori inſtituto) in eccleſiis perſeveret, æſtivis caloribus jam auctis poſt Quinquageſimæ decurſum opportunitatem ſuggerentibus eumdem ut potè leviorem deferendi communiter uſque ad Kal. Novembris

Habitus aſſumptus in paſchate dici poteſt habitus æſtivus ob ejus recentem uſum tota æſtate.

bris ; quando imminentia frigora pelliceum depoſcere videntur tegumen, & mæſtiora tempora (de quibus jam num. XLIX. &c.) laneam, obſcuramque cappam.

Et ob feſtivitatem Paſchatis, quæ inter æſtivas ab Eccleſia recenſebatur.

LXXXVIII. Dici etiam poteſt æſtivus, ſpectata Patrum noſtrorum diviſione anni eccleſiaſtici. Profectò Eccleſia circulum anni, ac tempeſtates, ad uſum præſertim Clericorum, per diverſa à civilibus ſeu popularibus motus ſolares utplurimùm inſequentibus nomina, & momenta efformavit, expreſſitque. Hinc dies, menſis, annus, ejuſque temporum initium, & terminus diſſonant plerumque in eccleſiaſticis rebus à ceterorum hominum conſuetudine, ſollemnitatibus frequentiùs ordinantibus annum noſtrum, ejuſque partitionem ad regulam motus Lunæ, ut notorium eſt, & advertitur à clariſſ. Huetio cit. demonſtr. Evangel. propoſ. IX. num. X. diſſert. ad cap. VIII. paralelliſmi. Jam verò annus eccleſiaſticus olim à Paſchate ſumebat exordium, uti (præter Cuiacium tit. *de feriis* ad c. 1. & 2. lib. 2. Decretal. Scaligerum de emendat. temp. c. *de diebus* apud Fileſacum cit. opuſculo de Quadrageſimæ ritu &c.) obſervat Mabillonius §. V. diſquiſit. de curſu gallicano num. 52. pag. 420. ex Canone Concilii II. Turonenſis celebrati an. 567. Quod eveniebat, quia in duas partes tantùm dividebatur idem annus: in æſtatem, & hyemem. Aliquomodo ſcilicet imitabatur Eccleſia civiles conſuetudines bifariam, ut vidimus, annum popularem dividentes. Quare æſtatis initium Paſcha cenſendum eſt. His explicandis, comprobandiſque mirè ſuffragantur antiqui homiliarum S. Maximi tituli legendi multoties cit. to. VI. biblioth. PP. Lugdun. Evoluens illas invenies diviſas eſſe unicè in æſtivas, & hyemales, primamque æſtivarum pag. 24. inſcriptam eſſe *de Paſchate*. Non ignoro etiam in quatuor partes, ideſt

idest hyemem, ver, æſtatem, & autumnum, didi- tum eccleſiaſticum annum antiquitùs, uti nunc, licet ſub aliis ſpatiis cuicumque compertis. Nec ignoro in his Paſcha cum æſtate non convenire. *Principia partium anni* (inquit Durandus lib. VIII. cap. III. n. 21. in rationali) *ſecundum Eccleſiam bis verſibus continentur.*

Feſtum Clementis hyemis caput eſt orientis :
Cedit hyems retrò Cathedrato Simone Petro :
Ver fugat Urbanus : æſtatem Symphorianus :
Id tibi quod reſtat autumni tempora præſtat.

Sed negandum non eſt aliam diviſionem in quatuor partes anni factam fuiſſe à majoribus noſtris repræſentantes magnum illum annum vitæ præſentis ab initio ſeculi uſque ad conſummationem, cujus æſtas ſingularius exprimeretur per decurſum paſchalis temporis. Ponuntur hæc in propatulo per laudatum Durandum lib. VI. cap. 1. à num. 1. ad 10. neceſſario conſulendum.

LXXXIX. Confectarium dictorum videtur, habitum, qui deponitur in Paſchate: nempe cappam pellibus ornatam: appellari poſſe non inſipienter habitum hyemalem. Id evincit (ne quid inſeram ex inſtitutione pelliceorum indumentorum, de qua n. LXXX.) ejus geſtatio per totam civilem hyemem, & potiorem eccleſiaſticæ, quam primariò notavimus num. antecedenti.

Habitus, qui deponitur, dici poteſt hyemalis.

XC. Poſt hæc opponatur nobis turba ſcriptionum, in quibus habitus chorales, de quibus eſt quæſtio, dicuntur habitus æſtivi, aut hyemalis temporis, vel juxta qualitatem temporum, ſeu congruis temporibus adhibendi. Non enim illinc probatur uſum eorumdem ex opinione multorum inſtitutum eſſe, vel aptari debere ſecundùm conditionem æſtivi, aut hyemalis aeris; ſed vocari eos poſſe habitus æſtivos, aut hyemales; quod mox, declarata talis nuncupationis ra-

Explicantur hinc authores aliquot, & authentica quædam documenta.

tione, faſſi ſumus. Eo ſenſu credidi ſemper loquutos celeberrimos ſcriptores ejuſmodi utentes phraſi,quos origo indumentorum choralium veroſimillimè non latuit. Ita intelligendus Thomaſius loco cit. ad num. xxxvi. Ita Thomaſſinus in opere de diſciplina &c. to. III. p. IV. lib. I. cap. xxxvII. §. IV. Ita in obſervatione VI. ad ritus Laudunenſes num. 19. p. 44. col. 2. Ant. Bellotte, quem aliàs nobiſcum diſertè ſentire de ratione induendi lineas albas paſchali tempore revelant ſcripta num. 9. obſervationis III. pag. 32. col. I. Ita explicandum præceptum Tedelgarii Terracinenſis Epiſcopi, qui ſeculo XII. Canonicis ſuis mandavit, *ut in choro in hyeme cum cappis, in æſtate cum cottis canonicè* conſiſterent, atteſtantibus ejus literis apud Dominicum Antonium Contatorem lib. III. hiſt. Terracin. cap. VII. p. 382. & ſtatutum Cathedralis eccleſiæ Londonienſis S. Paulli apud cit. to. III. Monaſtic. Anglicani, ubi ſub tit. *de Canonicis eccleſiæ in generali* decernitur, quod *in hyeme nigris, in æſtate candidis, in nocte ſemper nigra induantur.* Ita & Apoſtolicæ non recentes ſanctiones,ſiquæ obviam fiant, de his habitibus quidpiam tradentes, quarum e catalogo ne diſpungas Alexandri IV. confirmatorias ſtatutorum per Card. Octavianum Ubaldinum an. 1257. pro bono regimine Senenſis eccleſiæ. *Præcipientes* (aiunt ſtatuta videnda to. III. Ital. Ughellianæ edit. I pag. ſeu col. 634. in 46. Epiſcopo Senenſi) *ſtatuimus, ut infra eccleſiam in divinis officiis, & ſepeliendis corporibus mortuorum, qui apud eccleſias veſtras habuerint; vel elegerint ſepulturam conſimilem habitum deferatis cappam appertam de ſaja ſcilicet, & coccam, vel camiſiam ſuperaneam æſtivo tamen tempore, vel hyemali infra eccleſiam, & clauſtrum pellibus non diſcoopertis; vel mantellum cum cocca, vel camiſia ſuperanea uti poteritis aſſiblatis.* Haud affero literas Clemen-

mentis IV. cum aliis uſibus Terracinenſibus confirmantis an. 1267. ſub iiſdem ferè verbis Tedelgarii mandatum (de quo ſuprà) quum proſtent in cit. hiſtor. Contatoris pag. 376. Ita explicanda qualitas temporum, quam ſignant literæ Clementis VIII. concedentis habitum Cleri Patriarchalium an. 1592. Clero S. Mariæ tranſtyb. dum inquiunt: *Motu proprio . . . Capitulo , ac pro tempore exiſtentibus d. eccleſiæ Canonicis , Beneficiatis , & Clericis , ac eorum cuilibet, ut cappa cum pellibus etiam armellinis, & rocchetto, & cotta pro qualitate temporum . . . ad inſtar eccleſiarum S. Johannis Lateranenſis , Principis Apoſtolorum, ac B. Mariæ majoris de Urbe . . . deferre & geſtare . . . perpetuò indulgemus*. Reliqua opus aliud noſtrum cum elucidationibus præbebit. Ita explicanda (quod etiam clarè demonſtrari poſſet collatione facta cum literis Nicolai III. relegendis num. LXX.) Bulla Bonifacij VIII. inſtituentis an. VI. Pontificatus III Nonas Januarij Clericos chori , ſeu beneficiatos baſilicæ S. Petri. *Clerici chori* (ſic Pontifex pag. 46. al. cit. collectionis conſtitutionum Vaticanarum) *cappa nigra , & ſuperpelliceis congruis temporibus more Beneficiatorum utantur*.

XCI. Ingenuè itaque fateantur adverſarij quam imbecille ſit ab aeris opportunitate metiri depoſitionem , aſſumptionemque choralis noſtri indumenti: nec plaudant Grancolaſio * pag. 337. to. 1. comment.

Grancolaſij locus pro adverſariis militans ejuſque authoritas breviter diſcutitur.

M 2

* Memoravi hìc ſolùm ex authoribus opinioni adverſariorum fortaſſe juvantibus Grancolaſium utpote recentiorem , & quoad ſummam rei, ceterorum exſcriptorem. Non enim neſcius ſum quid ſcripſerit Claudius Dumolinet pag. 14. gallici diſcurſus ſuper habitu Canonicorum præpoſiti libello de diverſis habitibus Canonicor. regularium, & Claudius Le-vert to. 2. operis de Eccl. ceremoniis in obſervationibus ad cap. 2. pag. 505. edit. II. Pariſ. ac pag. 59. cap. I. præter P. Alanum Le-large ſeu anonymum authorem diſquiſitionum de Canonicorum ordine diſquiſ. III. art. VIII. ubi

ment. in Breviar. cit. artic. *des habits Eccleſiaſtiq.* nimium confidenter hæc ſcribenti. *La chape etoit d'uſage l'été, comme l'hyver : les jeunes Chanoines à Paris la portent toujours, & les Enfants de chœur nommé Spè : mais à Saint Victor, & Sainte Genevieve on la portoit même dehors, quand on ſortoit dans la Ville. Enfin*

---

ubi pleraque ad cappam pertinentia fuſiſſimè tractantur. Cenſent hi cappas vetuſtioribus ſeculis per Canonicos geſtatas fuiſſe ſemper, recentioribus (præſertim poſt milleſimum Chriſti annum) dimiſſas æſtivo tempore, ita ſuadente commoditate. At quam probè fallantur (ſi id ſinguli accipiant pro uſu capparum etiam in divinis officiis ſolemnitatis paſchalis) aperiunt non tantùm à nobis cumulata, ſed ipſa earum, quas afferunt, rationum ſeu conjecturarum perpenſio. Molinetus, cujus cete i pediſſequi ſunt, quatuor excogitavit. Harum primam inſert è ſilentio antiquarum ſcriptionum circa almucias Canonicorum, quæ non dubiè alicubi aſſumi ſolet, quum deponitur cappa. II. ex Regula Chrodegangi Metenſis legenda apud to. 7. Concilior. Labbei, per quam (cap. 29.) ſtatuitur, ut ſenioribus Canonicis quolibet anno detur nova cappa ſequenti anno tradenda junioribus ad eamdem deferendam decurſu ſex menſium. III. ex nunquam intermiſſa ab Epiſcopis delatione cappæ in eccleſiaſticis cujuſcumque temporis functionibus, quam ſubinnuunt verba cap. 3. lib. 1. Ceremonialis Epiſcopor. IV. ex textu quarumdam conſtitutionum Monaſterij S. Genovefæ præſcribente tum legentibus, tum cantantibus Clerico-monachis depoſitionem cappæ ad miſſam in vigilia Pentecoſtes. Jam quantum ponderis habeant ejuſmodi conjectationes obſervemus. Silentium veterum de almutiis indicaret aliquomodo recentiorem eſſe ſaltem pro Canonicis talium veſtium uſum, quî verò ſignificare poſſit, quod antiquiori ætate ~~nunquam (nec etiam per~~ tempus paſchale) ſine cappis ſteterint ad divina officia Clerici, aut Clerico-monachi neque ego, neque, ſi Deo placet, quiſquam alius percipiet. Regula Chrodegangi adſtruit potiùs, meo judicio, morem dimittendi cappas infra annum. Vult ſiquidem cappas ad uſum ſeniorum præcedenti anno noviter fabricatas per ſex menſes ſequentis geſtandas eſſe à junioribus Canonicis, nulla interim (quod viderim) neceſſaria mentione facta de cappis per alios ſex menſes adhibendis. Et nonne hoc ſatis declarat juniores per ſemeſtre ſpatium cappis abſtinuiſſe? Quodſi hæc conſuetudo juniores tenebat, an credibile diverſa obligatos fuiſſe ſeniores? Roborat ratiocinium noſtrum conſideratio, quod capparum quotidiè ferendarum uſus prolatus veroſimiliter non fuerit ultrà curriculum unius integri anni. Illud verò nemo

non

ſon l'incommodité de la porter dans le grandes chaleures l'a faite quitter même au chœur: Et dès le treizieme ſiecle Nicolas III. parle de la coûtume déja établie à Rome de porter ſeulement le ſurplis, & l'aumuſſe depuis Pâques juſque à la Touſſaint: ſic enim loquitur Vir ceteroquin eruditus tum quia mire confundit cappas extracho-

---

non videt quam rectè conformetur ex conjunctis duorum annorum ſemeſtribus ſpatiis. Allegatio Ceremonialis Epiſcoporum nec ad rem, nec ad nos, qui conſuetudines hic indagamus Canonicorum, non Epiſcoporum. Præterea ſapientum paucis probabitur, quod ex recentiſſimis conſtitutis, & moribus, quid veteres egerint intrepidè arguatur. Tales illationes modeſtiſſimè improbatas novi per ven. Card. Thomaſium in præfatione ad officium Dominicæ paſſionis ab eodem è greco idiomate latinè redditum, cujus verba nos opportuniùs afferimus P. 1. ſect. 1. §. 4. tractationis de ritu Presbyterii &c. Ceremoniale utique noviſſimorum temporum opus eſt noviſſimos ut plurimum mores complèctens, quod e ſeqq. numm. aliqua ratione colliges. Conſtitutiones S. Genovefæ parum concludere videntur, etiamſi clarè quod vult Molinetus pronuncient: quum uſum unius Monaſterij pandant, qui trahi non debet ad explicandas, definiendaſque ceterorum omnium conſuetudines. Aliàs optarem dictas conſtitutiones percurriſſe, ut illarum ætatem, & allegati capitis contextum hic perpendere poſſem, undèque diſcernere an τὸ *in vigilia Pentecoſtes* ibi potiùs deſignet vigiliam paſchalis *Quinquageſimæ*, de qua denominatione pleraque teſtimonia Patrum extant meritò nunc omittenda. Si vis, re vide quod productum eſt ſuprà num. XLVI. Satis modò de conjecturis Molineti. Si quam præter has ſomniavit Le-vert excutere dedignor. Unicè advertam quam lepidè nugetur Vir bonus in quæſtione noſtra. Putat, ut dixi, cappæ depoſitiones inductas vitandorum calorum gratia. Narrat veterem conſuetudinem Pariſienſis eccleſiæ illas deponendi ab initio paſchalis octidui etiam ad officia *mediæ noctis* uſque ad complementum ſollemnitatis S. Dionyſij. Locum tradit ſtatutorum, quem nos dedimus num. LIX. Sed intereà hujuſmodi mutationem mira ſecuritate caloribus attribuit. Scilicet egregius Geographus, dum ita ſcriberet, aut Pariſienſem Urbem olim ſub Zona torrida, vel ſaltem leniſſima orbis plaga ſitam: aut optimus Hiſtoricus ſciebat antiquitùs celebratum fuiſſe Paſcha, Leone ſæviente. In has tricas, & contradictiones ſeſe involuit, qui in exponendis Eccleſiæ inſtitutis condendi novi ſyſtematis oblectamento abripitur, ſpreto ſolius veſtigandæ veritatis ſtudio.

choralesClerico-monachorum, earumque uſum cum cappis Canonicorum regular. & ſecular. choralibus; ſive cum his cappas, quarum promiſcuus uſus & extra, & infra eccleſias penès aliquos Clerico-monachos: tum quia plus æquo adhæret ſententiæ minimè favorabili rationi myſticæ rituum, quod ejus commentarij loca multa manifeſtant. Nos verò & recognoſcimus in pluribus ceremonijs myſteria, ut certè in mutatione paſchali capparum; & diſtinguimus cappas extra-chorales à cappis Canonicorum, quas *de choro* nuncupavit Benedictus XII. allegatus n. LV. Illas concedimus forſan inſtitutas, aut adhibitas juxta conditionem aeris. De alijs id negamus, uti omninò dicendum de cappis Vaticanis [quarum depoſitionis morem indicat ſubobſcurè Grancolaſius uſum Romanum ſub Nicolao III. commemorans] ſi meminimus probata ſuperiùs. Ceterùm caſtiganda eſt hîc Grancolaſij facilitas in aſſerendo, quod non ſatis exploraverit, ut noſcatur num ejus axiomaton authoritati ſine examine, ac delectu plaudendum ſit. Eodem to. I. art. cui tit. *divers uſages obſervès dans l'office divin en differentes Egliſes* pag. 315. pronunciat. *Les Chanoines de S. Pierre, & des autres principales egliſes de Rome n'ont point à Paques d'aumuſſe, ni ſur la têtę ni ſur le bras; mais ont une chape avec un chaperon comme les Cardinaux.* Sed narrare potiùs debuiſſet [niſi fortè notitia donatus eſt rituum baſilicarum poſt everſionem paſchalis priſtinæ conſuetudinis noviſſimam] Canonicos baſilicarios aſſumere lineas cottas in Paſchate, & nunquam nunc almuciis uti.

Ceremoniale Epiſcoporum minimè favet opinioni adverſariorum.

XCII. Minùs inſuper ſibi blandiantur adverſarii in verbis hiſce Ceremonialis romani, ſeu Epiſcoporum occurrentibus lib. I. cap. III. num. III. *Cappis* [Epiſcopalibus] *pelliculæ albæ circa pectus, & collum de more conſutæ ſint, quæ deinde vigilia Pentecoſtes, ſeu* pro

pro diverſitate locorum citiùs, aut tardiùs, prout Epiſcopo opportunum videbitur; præintimatis etiam Canonicis, qui cappis utuntur, quo die mutari debeant, removentur, & loco pellicularum ſerico-rubrum aſſumitur. Canonici verò regulariter in eccleſiis, ubi illis cappis utuntur, eas deponunt, & loco earum aſſumunt cottas ſupra rocchettum: quaſi per hæc pateat ſequi debere mutationem capparum aeris viciſſitudines, & libitum eorum, qui præſint eccleſiis: quaſi per Ceremoniale, cujus obſervantia indicta ſit à romanis Pontificibus quarumcumque eccleſiarum Clericis, ſtatuatur ad ſummum mutationis momentum in vigilia Pentecoſtes, nequaquam in vigilia Paſchatis ad *Alleluja*.

XCIII. Siquidem, ſi veritatem velint in allatis verbis rimari tantùm, agnoſcent in Ceremoniali nihil penitùs præſcribi de præciſo momento controverſæ mutationis: ſed unicè narrari eamdem fieri ſolere in vigilia Pentecoſtes, quod utique tunc agebatur. Quum Ceremoniale conditum eſt ritus noſter, ſicut alii multi (quemadmodum comperitur ex curis * Tridentini Concilii, & illius fermè coævorum Pontificum ad rem liturgicam, ac ritualem ſarciendam intentis) ferè ubique extra Urbem, vel ſaltem communiùs ab antiquo more deſciverat. Epiſcopi, ſiquando eccleſiaſticis officiis cum Canonicis adeſſe vellent, cum cappa conſiſtebant. Ubi nimius æſtus urgeret, quod frequentiùs & generaliùs accidit adveniente Pentecoſte, tegumen adversùs illum, ſcil. pellicularum contextum deponebant, aſſumebantque earum loco ſericum rubrum. Canonici Epiſcopos imitabantur. Quidam, eliminato uſu extimæ albæ li- Non jubet variationem habitus diverſam à noſtra conſuetudine.

neæ

* V. Seſſ. xxv. *de reformat.* & literas apoſtolicas præpoſitas Miſſali, Breviario, Pontificali, Rituali, Ceremoniali, &c. romanis.

Digitized by Google

neæ in vigilia Paſchatis aſſumptæ, ſolas cum Epiſcopis dimittere cæperant pelliculas, & accipere ſericorubrum. Alii, uſu retento linearum, Epiſcopis uniformes eſſe voluerant circa tempus depoſitionis cappæ. Novos hos non dubiè prævalentes ritus adoptavit Ceremoniale juxta auream illam prudentiæ regulam, quam ſic exprimit Mabillonius hic cit. num. LXIV. *Ubi regnant antiqui ritus, h iconſtanter retinendi ſunt: ubi novi prævaluerint, antiquos laudare decet, novos non reiicere*: merè tamen deſcripſit, nec aperta juſſione inculcavit veroſimiliter; ut conſtanter retineretur, ubi regnaret antiquus paſchalis ritus, quem fugere non poterat viros eruditiſſimos componendo codici adhibitos à romanis Pontificibus.

Non tollit Ceremoniale laudabiles, & vetuſtiſſimas conſuetudines.

XCIV. Præſcripſerit verò Ceremoniale variationem habitus ad Pentecoſten, an neceſſarium, vel etiam liberum nobis, ut ejuſdem regulis conformemur, commendabilem, & perantiquam conſuetudinem noſtram funditùs evertere? Minimè quidem. Nam tritum eſt in Curia, & calculo plurium declarationum Pontificiarum munitum jus perCeremoniale Epiſcoporum nullatenus tolli immemorabiles, & laudabiles conſuetudines. Videſis reſponſa ſacræ rituum Congregationis oraculo papali ſemper vallata tomo IV. Conſultationum canonicar. Jacobi Pignattelli conſult. 26. num. 20. &c.

Et Pontifices edito romano permiſerunt peculiaria Ceremonialia, inter quæ Vaticanum referens ritum noſtrum.

XCV. Imò Antiſtites Maximi plurium eccleſiarum cœtibus permiſerunt poſt editionem romani, ut ſuas conſuetudines obſervandas peculiaribusCeremonialibus conſignarent. Varia ex his etiam impreſſa, paſſim offendi in pluteis Bibliothecarum, & Archivorum, quæ à Pontificum notitia procul eſſe nullus jure ſuſpicabitur. Ipſa Vaticana baſilica ſuum habet conſuetudinum ms. codicem ab authore appellatum Ceremoniale Canonici Michaelis Angeli Matthæi no-

noſtra ferè ætate defuncti, ubi ritus, quem propugnamus, hiſce verbis clariſſimè præſcribitur cap. XI. tit. *de Sabb. S. Depoſita mitra* [Epiſcopus cantata per Subdiaconum epiſtola] *& Subdiacono propè Diaconum adſtante, ad altare converſus ter concinat* Alleluja *vocem ſingulis vicibus gradatim elevans: & Cantores repetito ſingulis vicibus* Alleluja *proſequantur verſiculum* confitemini &c. *cum his, quæ ſequuntur. Tunc Epiſcopus ſedet cum mitra legens eadem, & Evangelium, Subdiacono librum ſuffulciente.* **Clerus, dum præfata cantantur, priùs ex chori latere in ſacrarium progrediuntur cappas depoſituri, & ſuſceptis cottis ad chorum revertuntur.* Tantum à veritate diſtat romanos Pontifices, condito Ceremoniali, ſuſtuliſſe laudabiles uſus, aut creditum fuiſſe à deceſſoribus noſtris, quod apertè juſſerint ritus paſchalis indumentorum choralium mutationis reformationem.

XCVI. Illud ſanè jubere videtur Ceremoniale, quod, ſi mutari velit *pro diverſitate locorum citiùs, aut tardiùs* habitus hyemalis, hujuſcemodi rei opportunitas recognoſcatur ab Epiſcopo, ab ejuſque pendeat arbitrio, ac voluntate. Arguant hinc adverſarii, num rectè præſidium infirmæ cauſſæ ſtatuere poſſint in authoritate Ceremonialis. Sit liberum, ſit opportunum Romæ nunc citiùs, aut tardiùs deponere cappas, & aſſumere lineas albas. Hoc juxta Ceremoniale fieri debet conſulto, & volente romano Antiſtite, quem ego nunquam credam hanc opportunitatem declaraturum, huic libertati ſuffragium ſuum laturum, ſi rite expoſtuletur. Quis enim perſuadeat mihi romanum Pontificem quibuſcumque novationibus ſemper adverſum ob leve commodum Clericorum ſubverſurum aliquando veterem, ſymbolicum, nunquam intermiſſum, & calculo Prædeceſſorum com-

Si qua libertas in variatione habitus inſinuatur à Ceremoniali, hæc in romanis baſilicis pendet à placito romani Pontificis, quod difficillimè impetrabitur.

N

* Sic in exgrapho ms. cod. à me viſo. Port. in autographo. *Canonici, &*

Digitized by Google

comprobatum Eccleſiæ ritum. Fruſtra illi obtenderetur authoritas Ceremonialis. Fruſtra ſtylus ſuus, quo, ſi nunc concedendum ſit indultum capparum extra Urbem, ut plurimùm earum uſus præſcribatur ad regulas Ceremonialis, ſicuti colligi valet abunde ex literis Urbani VIII. productis num.LXXXII. Aliud quippe eſt communiora inſtituta propagare in Ceremoniali deſcripta: aliud, ut hæc inducantur, priſcas laudabiles conſuetudines extinguere. Illud digna res eſt ſupremo Sacerdote: hoc à moribus, & praxi ejuſdem ſummè abhorret.

Uſus Cappellæ Pontificiç confirmant potiùs ritum noſtrum. De uſibus vetuſtioribus, & mediæ ætatis.

XCVII. Gratis ergo prætenditur contra opinionem noſtram regula Ceremonialis Epiſcoporum. Idipſum aſſero de objectis conſuetudinibus Palatini ſacelli. Neque hìc teſtes appello vetuſtiſſimos papales ritus, quos adverſariis minimè favere commonefaciet iterata lectio narratorum num.XX. Nec ſiſtam diutiùs ſuper ritibus mediæ ætatis, quos ambiguum non eſt nobis omnino ſuffragari. Scribente Petro Amelio Ceremoniale papalis Cappellæ, de quo aliàs ſupra, Pontifex adſtans miſſæ ſollemni in ſabb. ſancto paullo ante tempus, quo nos in baſilicis, habitus mutationem agebat, idque probabile eſt pro modulo imitatos fuiſſe Cardinales, ceteroſque Clericos. *Dum incipitur* Gloria in excelſis Deo *Papa* [ſunt verba Amelii ad tit. LXXXIII.] *deponit pluviale rubeum, & ſtolam, & mitram, quæ omnia debent eſſe ſive perlis: & Subdiaconus, vel ille, qui cuſtodit prædicta cum mitra conſiſtoriali cum perlis. Sacriſta verò, vel ejus ſocius tradit pluviale album de Samito cum aurifriſiis de perlis, & cum cordonibus; & Diaconus, qui ſtat à dextris Papæ, induit Papam.* Superiùs (nempe tit. LXXVIII.) annotaverat Amelius omnes ordines Cappellæ, Papa celebrante, alba paramenta accepiſſe.

Fit nunc ſabb. s. mutatio ha-

XCVIII. Nunc, celebrante Pontifice ſanctiori ſab-

ba-

batho, fit hæc per eumdem , & reliquos mutatio habitus. *Quum perventum eſt ad* peccatores [ita recentius Ceremoniale vulgatum ſub Leone X. lib. I. ſect. II. c. 60. agens de litaniis ſabbato ſancto cantari ſolitis] *Diaconus , & Subdiaconus , dimiſſis planetis , accipiunt albas tunicas . & Papam cum . . . violaceis , & induunt albis paramentis . Et omnes Cardinales , & Prælati accipiunt paramenta alba , & altare , & ſedes Papæ ornantur albis palliis &c.* Pontifice verò non celebrante, Miniſtri altaris accipiunt alba paramenta : Papa deponit rubrum indumentum, aſſumitque candidum ex diſpoſitione mox cit. libri ceremonialis ad c. 57: Cardinales in ipſa Cappella (quod & affirmandum de aliis mutationibus mox deſcriptis) depoſita violacea cappam aſſumunt purpuream . Hæc ſingula completi videmus quotannis ante initium miſſæ . Conſuetudinem Cardinalium ſic exprimunt libelli de uſu veſtium cit. ſub num. XXXVII. *Die ſabb. ſanct. Cappell. Ad officium uſque ad miſſam excluſivè cum cappis violaceis : in miſſa cum cappis rubeis* . Mutatio hujuſmodi jam à Pontificatu Paulli III. ponitur lib. III. Faſtor. ſacror. Novidii inter actiones VII. feriæ lætitiam , & renovationem Paſchati propriam ſignificantes. En locum.

Mutatio habitus in Cappella PP.

Sat datum erit lacrymis : lux eſt jam tertia : Mater
Læta ades : & mæſtam pone , Thalia , Lyram .
Quod vetus ante fuit per totum tollitur annum :
Cereus & flammæ ſunt in honore novæ .
Scilicet amiſſos recipit jam terra colores :
Exuitur ſerpens , & renovatur avis .
Vertice de ſummo conſumitur igne Volumen :
Veſteque non tacta ſanctiùs ara calet .
Sacra novi hanc circùm fundunt & thura miniſtri :
Purpureas Patres accipiuntque togas .
Æra ſonant ſanctum properant altaria nectar :
Lætaque plebs inquit: cras cibus aguus erit .

Mutatio pellicularum nunc eſt arbitraria in Cappella PP.

XCIX. Optimè ſcio obtrudi paſſim ab adverſariis, & jactari quod habent libelli prælaudati de veſtibus ad vigiliam Aſcenſionis. *Hodie, vel in vigilia Pentecoſtes fieri ſolet mutatio capparum.* Sed perperam. Etenim reſpicit hæc depoſitionem exterioris tegumenti pellicei, quod, quum depellendo frigori ſingulariùs famuletur; ut monitum crebrò, deponitur non impropriè tempore magis tepido. Mox aliàs vidimus cappam immutatam fuiſſe à ſacro Cardinalium collegio ad miſſam ſabbathi ſanctioris.

Olim & eadem compleri debebat ſub Paſchate.

C. Præterea ipſa hæc mutatio capparum, quoad pelliculas, arbitraria recentiſſimæ eſt conſuetudinis, & aliquando per decretum Pontificium ex uſibus Cappellæ deturbata. *In vigilia Pentecoſtes* (ait Ceremoniale lib.II. ſect.II.cap.2. *de vigil. Pentec. & mutatione cappar.*) *Cardinales, & Prælati rom. Curiæ depoſitis cappis, & caputiis pellibus ſubduplicatis accipiunt alias cum ſerico rubro, ſive carmiſino, in quibus veniunt ad veſperas .... Hæc mutatio capparum fit hodie in feſto reſurrectionis Dominicæ decreto Leonis X. in Concilio Lateranenſi, quia ita fiebat antiquitùs.* Talem mutationem paſchalem notaverat idem codex cit. lib. & ſect. c. 1. *de feſto reſurrect. PP. celebrante* his verbis quædam alibi ſupra dicta etiam illuſtrantibus. *In feſto Paſchatis Reſurrectionis ... in quo eſt mutatio capparum, Papa indutus pluviali albo imponit incenſum ... Cardinales, & Prælati omnes ſunt parati veſtimentis albis convenientibus, & officiales omnes in albis, ut moris eſt.*

Quando variari cœperit ab hoc inſtituto.

CI. Quando recedi captum ſit à decreto Leonis X. non penetrabile mihi, cui ſolùm licitum publica ſcrutari documenta. Crederem quidem id eveniſſe, quum multiplicitas pellium, & colorum capparum Cardinalium contracta eſt. Tempore laudati Pontificis, ac Deceſſorum qualitas, & uſus ejuſmodi cap-

pa-

parum, pelliumque erat, ut deſcribitur, ſcilicet obſcuriuſculè, à cit. Ceremoniali cap. v. *de habitu Card.* ſect. III. lib. III. *Cardinales utuntur ſemper in Cappella, & in publico cappa ampla ſupra rocchettum coloris violacei plus vel minùs clari, aut obſcuri, blavi ſive aerii, & aliquando rubri, ſed rariùs — Cappa poteſt eſſe ex lana, ſive ex zambellotto. Et in officiis defunctorum, & Sede vacante, & a quarta feria majoris hebdomadæ uſque ad ſabbatum ſanctum ſolebant uti cappis ſuis obſcuris cum pellibus de griſeis, & non de variis. Hoc tamen hodie non ſervatur, ſed à veſperis omnium SS. incluſivè uſque ad mane Dominicæ reſurrectionis excluſivè utuntur albis pellibus de variis. In reliquo tempore utuntur ſerico rubri coloris loco pellium.* Sic Ceremoniale rom. Eccl. cujus locum opportunè obſervatum vidi à Hieronymo Catena in italico libello de bireto rubro dando Cardinalibus religioſis pag. 15. num. 36. Modò inter colores cappis Cardinalium communes nullus eſt blavus, ſive aerius. Modò, procul ablegatis albis de variis, aliiſque obſcurioribus, aut verſicoloratis pelliculis, candidæ armellinæ ſolùm renident in ſacello Pontificis.

CII. Conditio armellinarum cauſſa forſan fuit, ut amictus pelliceus geſtari convenienter videretur paſchali tempore ſupra lætiorem cappam Cardinalium. *Pelles armellinæ* (inquit Ant. Bellotte obſervat. VII. ad cit. ritus Laudunen. num. 3. pag. 46. col. 2.) *albi coloris ... vitæ puritatem, amplioremque eas deferentium præ ceteris denotant integritatem*. Quæ valdè conſentanea ſunt paſchalibus myſteriis juxta ſuperiùs enunciata num. XV. XXIV. & ſeqq.

Et quare;

CIII. Quamobrem ritus * Cappellæ papalis, quacum-

Concordiam temporum mutationis habitus inter ordines Cappellæ, & alios Clericos aliqua ſcriptorum teſtimonia notant

* Ex papalibus uſibus adſtruentibus aliquomodo ritum baſilicarum uſus ille (quamvis extra Cappellam adimpleatur) non eſt quacumque

cumque illos parte, ac tempore intuearis, concordes agnoſcès, ſaltem quoad ſummam ſeu ſubſtantiam, baſilicarum conſuetudini. Aliàs tacendum non eſt concordiam temporum mutationis habitus Ordinum Curiæ, & Clericorum omnium præſtantiorum, præſertim majorum Urbis Eccleſiarum, notari, teſtarique diſertè à variis Scriptoribus. Vide Pennoti lib. II. al. cit. hiſt. Clericor. canonicor. cap. 22. num. 5. Auguſtinus Ticinenſis in ſuo elucidario Religioſorum impreſſo Brixiæ an. 1511. Par. II. Præfatione 28. pag. xxIII. hæc ad rem noſtram. *In Curia romana à feſto omnium SS. uſque ad Paſcha Canonici S. Johannis Lateranenſis, & S. Petri, & S. Crucis in Hieruſalem de Urbe, ubi nunc ſunt Carthuſienſes, & Canonici S. Mariæ novæ, ubi nunc ſunt Fratres albi montis Oliveti, & Clerici de Camera, & omnes Epiſcopi antiquitùs induti ſunt capas nigras, & uſque in hodiernum diem dicitur feſtum capparum.* Nuncupationem hujuſmodi, & mutationem capparum tali Feſto ſequentibus verſiculis celebravit Novidius lib. x. Faſtor. pag. 136. ſiſtens ad extremam Octobris diem, & viam præparans menſi, & libro XI.

Rebus ineſt caſus: non uno ſydera vultu:
Nec facies ſemper temporis una manet.

Al-

---

que obſervatione privandus, qui notatur in ceremonial. lib. II. ſect. I. cap. 58. *de habitu Papæ* per hæc verba: *Hoc mane* (ſabb. ſancti) *Sanctiſſimus Dominus noſter finita miſſa, & dimiſſis in Camera Papagalli paramentis accipit capacium, & birretum album quibus utitur deinde uſque ad ſabbatum in albis incluſivè, & eiſdem diebus paſchalibus non utitur aliquo habitu rubeo, ſed albo tantùm, & ſimiliter, ſi uti vellet mantello, coloris albi uteretur bis diebus, & non alterius coloris.* De cauſſa hujus ritus convenit & ipſe Claudius Le-vert al. cit. to. II. explicat. cap. I. pag. 59. dum imperfectam faciens commemorationem allati textus inquit: *Le Pape aparemment pour la meme raiſon, c'eſt à dire à cauſe de l'* in albis, *doit auſſi porter pendant toute cette ſemaine ſelon le ceremonial romain une calotte ou berrette blanche.*

Albo petunt Sacri: rubra ponunt pallia Patres:
Quodque vocant cappas hux ſibi nomen habet.
Sit tua trita licet, menſiſq. liberque receſſit.
Mater hic cappam nunc quoque, Muſa, tuam.

CIV. Etſi verò diſcordarent nunc circa conſuetudinem noſtram Pontificii mores, & baſilicarii, nihilo minus, quæ placuit nobis opinio, immota eſſet. Tam diverſis legibus ab uſitatis per baſilicas jam à multo tempore eeclesiaſtica peraguntur officia in Cappella Pontificis, ut exæquari velle ſingularum praxin, aut ex uſibus iſtius argumentum aliquod elicere pro damnandis, deformandiſque priſcis illarum conſuetudinibus prorſùs deſipere ſit. Maximum hocce diſcrimen olfecerunt plerique recentiores de ritibus ſcribentes, & præceſſorum docent teſtimonia. Conſulatur Bona lib. 1. rer. liturgicar. cap. VII. num. VII Ibi repetitur celebris locus epiſtolæ Petri Abælardi ad S. Bernardum: *Sola eccleſia Lateranenſis, quæ mater eſt omnium, antiquum tenet officium, nulla filiarum ſuarum in hoc eam ſequente, nec ipſa romani Palatii baſilica.* Addit Cardinalis doctiſſimus varia educta ex libro Radulphi Tungrenſis de obſervantia Canonum. Verba propoſit. 22. notabiliora videntur. *Quando romani Pontifices apud Lateranum reſidebant, in eorum Cappella ſervabatur divinum officium non ita compleiè, ſicut in aliis Urbis eccleſiis collegiatis.* At de his diverſitatibus explicatius diſſerendum nobis erit in tractatione de Hierarchia Cleri Urbis &c. Illic ſimiliter veſtigabitur cur, & quo ſenſu prælibatus Radulphus omnes romanas eccleſias divinorum officiorum celebratione diſtinctas (præter Lateranenſem Papæ Cappellam] nec excluſis Patriarchalibus, *Collegiatas* appellaverit. Advertebam quondam legens XIX. [juxta continuationem Abrahami Bzovii] annalium tomum eadem formula loquutum Julium II. Pontifi-

Diſcordantibus etiam uſibus baſilicarum, & Pontificiæ Cappellæ, nihil debilitaretur opinio noſtra.

cem

cem verba facientem ad Cardinales, & reliquos Patres Concilii Lateranenſis A. D. 1512. d. 10. Maii, quæ proferebat è ſcheda Alexander Cardinalis Farneſius. *Statuimus* [ita Papa volens inchoari Concilium per preces ad Deum] *ut hac ipſa die ſpeciali ad hoc conſtituta celebretur miſſa, quam etiam juſſimus, & in hac* [Lateranenſi] *& in ſingulis aliis collegiatis tam ſecularibus, quam regularibus Urbis rom. eccleſiis ſemel in hebdomada: videl. Feria 2. ſacro hoc durante Concilio celebrari*. V. num. VIII. pag. 161. ad prænotatum annum.

* * *

Concluſio. TRANSGRESSUS jamdudum epiſtolaris brevitatis fines nunc ferè ab ipſo propoſito deflexi. Ne in deteriora prolabar, concludam orationem. Habes, VIR CLARISSIME, quid ſentiam de controverſo ritu, & quid contra ſentientibus reponi poſſit. Num hi rationes opinionis meæ amplexuri ſint, affirmare non audeo, eas Tibi probandas fore non dubito, cui pronum, & familiare quidquid pium eſt, quidquid verum avidè complecti, & ſtrenuè tueri. Ambo jam poſthac pro defenſione ritus eximii decertabimus. Securiùs forſan ſic eveniet, ut, ubi hactenus ſervatus eſt illibatè [quod ſanè contigit apud baſilicam S. Mariæ tranſtyberim] eo libentiùs cuſtodiatur, quo notior, & pervulgatior evaſerit ejus dignitas, & præſtantia: ubi novitate corruptus eſt, priſtino decori, & uſui reſtituatur. Secùs ſi res ceſſerit, ſolatio erit nobis ad paternarum traditionum ἄλωσιν, ceteris obmuteſcentibus, pro defenſione aperuiſſe os noſtrum, & palàm odiſſe *matrem temeritatis, ſororem ſuperſtitionis, filiam levitatis*. Hoc elogio exornatur νώτης à S. Bernardo in epiſt. ad Canonicos Lugdunenſes 174. Vale.

Scribebam Romæ prid. Kal. Decemb. A. D. 1730.

T E Λ O Σ.

SUP-

SUPPLEMENTUM
DISSERTATIONI
De ritu oſtenſionis Sacr. Reliquiarum
Evulgatæ A. D. MDCCXXI.

MONITUM
De cauſſa, & uſu hujus Supplementi.

Post editam anno MDCCXXI. Diſſertationem *de ritu oſtenſionis Sacrar. Reliquiar.* varia ſuccurrunt in dies, quæ diſplicet ibidem prætermiſiſſe, tum quòd completiorem dediſſent ritus notitiam, tum quòd opuſculum forſan ornatius, ac in aliquibus emendatius reddidiſſent. Ex iis ſunt, quæ modò juvat offerre Lectoribus cum onere tamen ſingula ſuis locis aptandi, quoaduſque aut per me, aut per alios (ſi tanti res umquam æſtimabitur) nova fiat elucubratiunculæ impreſſio. Tunc non ſolùm præfatio, & ſiquæ alia erunt tempori non convenientia omittentur, index, ſyllabus Authorum, & ſynopſis contentorum ſub numeris congruè augebitur: ſed horum indicationes digerentur ad formam ſequentis Supplementi. Nam diſſertatio, quæ per numeros LXXVI. diſtincta fuit, ſex aliis nunc augetur, ut quivis ex dicendis agnoſcet. Ego hìc, quas citrà obſcuritatem potero,

indigitabo rerum mutationes, & loculos accretionum, ordine deſumpto à paginis vulgatæ diſſertationis.

Pagina 3. *linea ſeu verſu* 1. *num.* II. *ante* irriſionis *adde*

Ad idem tendebat oſtenſio, ac ſuſpenſio capitis, manuſque impii Nicanoris, qua de re nota extat hiſtoria in libris Machabæorum,

II. *Machab.* XV. 30. *& ſeqq.*

Pag. 17. *lin.* 21. *num.* VII. *poſt* abhorruiſſe *deleta voce* duo *leges poſthac*

tria

Pag. 18. *lin.* 27. *eod. num. poſt* arcæ *adde*

ſub Davide rege

Pag. 19. *lin.* 30. *eod. num. poſt* concrepantes *adde*

Haud memoro poſt has ſollemnem ejuſdem arcæ illationem in templum Salomone regnante completam, & ſimiliter in ſacris chartis deſcriptam, quum fere iiſdem ritibus celebrata fuerit. Prodeat nunc tertium exemplum. Venerabilis erat apud Judæos divinæ legis liber, quem poni juſſerat Moſes *in latere arcæ fœderis*, quem inter ſecretiora templi Salomonici reperiit Helcias Pontifex ſub Joſia Rege, quem non minoris dignationis ac Tabulæ ipſæ eſſent ſupra commemoratæ exiſtimaſſe priſcos Judæos inſinuat Iſaac Abrabaniel à doctiſſimo Pet. Dan. Huetio in Demonſtratione evangelica cum aliis allegatus. Verùm ſive idem, ſive ejus authenticon ecgraphon aliquando non ſine ſollemni ceremonia ſpe-

III. *Reg.* VIII. II. *Paralip.* V.

Deuteronom. XXXI. 26. IV. *Reg.* XXII. 8. II. *Paralip.* XXXIV. 14.

Abraban. in I. *Reg.* 8. 9. *ap. Huet. mox citand.*

ſpectandum tradebatur. Quum enim ad præſcriptum Deuteronomii legi certo tempore deberet *in feſto Tabernaculorum*, primò videntibus omnibus ad publicum locum deferebatur: poſtea reſerabatur coram tota Judæorum Eccleſia. Quod ſi non eſt ſpecies oſtenſionis quid aliud erit? Ipſe hanc conſuetudinem recognoſco in actis lectionis habitæ (haud dubiè ſecundùm Canones majorum) per Eſdram librorum, & morum Iſraelitarum reſtauratorem. *Venerat* (hæc liber Nehemiæ) *menſis ſeptimus* ... *Congregatus eſt omnis populus* ... *Et dixerunt Eſdræ Scribæ, ut afferret librum legis Moyſi* ... *attulit ergo Eſdras librum* CORAM MULTITUDINE: *& legit in eo apertè in platea* .... *ſtetit autem ſuper gradum lignorum, quem fecerat ad loquendum, & ſteterunt juxta eum Matatias &c. &* APERUIT *Eſdras* LIBRUM CORAM OMNI POPULO. *Et cum aperuiſſet eum ſtetit omnis populus: & benedixit Eſdras Domino Deo Magno: & reſpondit omnis populus amen, amen: elevans manus ſuas, & incurvati ſunt, & adoraverunt Deum proni in terram*. Aliàs nunc etiam viget ejuſmodi conſuetudo apud Judæos, genus hominum paternarum traditionum tenaciſſimum, quod eximiè conjecturæ noſtræ de veteri more confidentiam propugnat. En teſtimonium laudati Huetii omni exceptione ſublimius. *Nunc quoque Judæi in Synagogis Sacrorum legis volumen includunt armario, & depromunt identidem, ac populo* SPECTANDUM, *&* VENERANDUM PRÆBENT. Si vis aliud, con-

Cit. cap. Deuteron. 10. 11. 12.

II. *Eſdr.* VIII. 1. *& ſeqq.*

Huetius Demſtrat. Evangel. Prop. IV. *de Can. libror. ſacror.* §. VIII.

Lamy lib. I. *cap.* X. *edit. Lugdun. an.* 1723. *p.* 214. *& p.* 178. *Tab.* VII. *ad cap.* VIII.

vola ad Apparatum Biblicum P. Bernardi Lamy, quo etiam figura Judæi volumen oſtendentis occurret.

Lin. poſtrema dele: hactenus ſacræ paginæ, *&, quæ ſequitur, vocem* duo; *pro qua leges* tria

Poſt num. VII. *pag.* 20. *leges*

VIII.

Oſtenſio arcæ Nocticæ apud Armenos.

EXEMPLUM ſingularis oſtenſionis eſſe videtur, quam nec Ethnicis, nec Judaicis annumero, & quam ſic narrat fidei vetuſtiſſimorum Scriptorum innixus Leo Allatius. *Joſephus antiquitatum Judaicarum lib.* I. *ex Beroſo*: *Euſebius de præparat. Evangel. lib.* 9. *ex Abydeno, & Chronicor. Par.* I. *ex Alexandro Polyſthore*: *Euſtatius Antiochenſis in Examero, & alii tradunt ad ſua tempora ab incolis Apobaterii Arcæ reliquias* MONSTRARI: *& ejus bitumine ad averruncanda mala uti*. Hæc Allatius, qui addere poterat ex Abydeno, & Euſebio illic ab indigenis geſtatas fuiſſe veluti alexipharmaca ligneas ejuſdem arcæ particulas. De *apobaterio* ideſt *egreſſorio* fert Joſephus ita appellatum locum apud Armenos; unde egreſſus perhiberetur Noemus ex arca.

Allat. animadverſ. ad fragmenta hetruſc. antiqvit. num. LXXXIII.

Ead. pag. 20. *poſt veterem numerum* VIII. *nunc* IX. *leges*

X.

Probatur exẽplo SS. imaginum, figuræ dominicę Crucis, & Codicis evangeliorum.

DIONÆ etiam cenſentur in Eccleſia veneratione (quamvis longè inferiori, ac diverſa ab ea, quæ ſoli Deo impenditur, ſicuti videre eſt in conſtitutis per Concilia Nicænum II. Triden-

denſium &c.) imagines Sanctorum, nec non figura Crucis Dominicæ, & codices ſacrorum Bibliorum, præſertim quatuor Evangeliorum. Hæc autem multifariam ab antiqua ætate publicè aliquando monſtrari ſolent. Quem latent ſtatæ detectiones imaginum, præcipuè Beatæ Mariæ Virginis, alicubi miraculis coruſcantium, earumque circumgeſtationes? Extant de his exempla apud vetuſtos romanos ordines, aliaſque optimæ notæ ſcriptiones à nobis cumulanda in hiſtoria baſilicæ S. Mariæ trans Tyb. ubi de imaginibus ibidem cultis erit ſermo copioſus. Quem latent multiplices imaginis Crucis Dominicæ prolationes? Quotidie Crux per Eccleſiam ad publicas ſacras actiones veluti Chriſtianorum vexillum effertur. Sed ejuſdem peculiaris eſt oſtenſio (apud latinos præſertim) quolibet anno feria VI. Paraſceves infra tempus divini ſervicii, ut ex rubricis voluminum miſſalium ad eam diem, & liturgicis authoribus colligere commodè poſſumus. De oſtenſione Crucis apud Cappellam Pontificis teſtis eſt locuples ordo romanus Petri Amelii. V. tomum II. muſei italici Mabillóniani. Super veteri more tum Græcorum, tum Latinorum oſtendendi, ſeu circumferendi librum Evangeliorum in Proceſſionibus ſub præcipua venerationis idea pleraque legi revolvens Schediaſmata ſacro-profana Aloyſii Novarini. Nunc apud nos honorabilis codex oſtenditur, quum inter Miſſarum ſollemnia certo ritu omnibus conſpicuus defertur per Diaconum pro-

Nicæn. II. act. 7. Triden. ſeſſ. 25. decr. de invoc. SS.

V. de his varia opuſcula Gretſeriana de Cruce &c.

Amel. ord. rom. XV. in to. II. Muſei Mabill. tit. LXXV.

Novar. lib. III. cap. II. pag. 70. num. marg. 9. 10. 11. & cap. I. num. 25.

ce-

cedentem poſt benedictionem ſacerdotalem ad cantum ſacri eloquii. Spiritum Eccleſiæ in ejuſmodi actione apertiùs manifeſtant vetuſti, ac forſan generalis olim uſus veſtigia nonnullarum Eccleſiarum, quæ ſequentibus verbis indicat eruditus Petrus Le-brun in ſua explicatione Miſſæ. *A Paris, & dans pluſieurs autres Egliſes de France... Le Diacre partant de l'autel pour aller à l'Aigle, où au Jubè... porte le livre fort elevè entre ſes mains afin que tout le monde puiſſe l'*APPERCEVOIR; *& de qu' il marche, & qu' on voit ce ſaint livre, tous ceux, qui ſont dans le choeur ſe levent par reſpect, & tout le Clergè ſe tient debout* &c. At ſatis de his, aliiſque eccleſiaſticis inſtitutis argumentum noſtrum haud plenè reſpicientibus.

Le-brun to. I. P. II. art. VII. §. 1. num. 3. pag. 225.

Pag. 22. *lin.* 12. *num.* [*olim* XI. *nunc*] XIII. *poſt* venerati *adde*

adveniſſe tandem ſentientes regnum Chriſti, & Sanctorum in terris glorioſum, quod prædixerat Apoſtolus Johannes juxta veroſimillimam Apocalypſeos explanationem Jacobi benigni Boſſueti doctiſſimi Epiſcopi Meldenſis

Boſſuet ſur le chap. XX. *verſ.* 4.

Pag. 28. *poſt num.* [*ol.* XVI. *nunc*] XVIII. *lege*

XIX.

Reliquię monſtrantur initio Conciliorum.

AB eccleſiaſticis ſanctioribus regulis, & exemplis inſtruimur oſtendi debere reliquias, ſiquæ ſint in illis baſilicis, penès quas detur initium celebrationi Conciliorum. In Ceremoniali Epiſcoporum, quo ritus definiuntur

ad

Digitized by Google

ad ineundum Provinciale, aut Diœceſanum Concilium hæc legi poſt narrationem de ſupplicatione agenda ſeſſione I. *Quibus omnibus* [ſcil. ſupplicationi intervenientibus] *Eccleſiam ingreſſis*, *&* OSTENSIS, *ſi oſtendendæ erunt, reliquiis, cantabitur Miſſa* &c. Hic ritus talium Conciliorum. Sed nec omitti ſolet occaſione Generalium. Paris de Craſſis (ut refert Raynaldus) ratione muneris ſui ceremoniarii Congregationi præſinodali varia propoſuit priùs definienda quam Concilium Lateranenſe inchoaretur ſub Julio II. Quæſivit num. XXVIII. an prima conciliari ſeſſione oſtendenda forent Capita Apoſtolorum, accepitque reſponſum, quod ita notavit in M.SS. Diariis. *Super 28. placuit Pontifici, Senatui, & Patribus conciliabolum* [ideſt ex ſtylo Paridis locum Concilii] *ingreſſis Apoſtolorum Capita more ſolito* DEMONSTRENTUR. Non ſileam quod in Concilio Romano noviſſimè ſub Benedicto XIII. celebrato hujuſmodi facta ſit oſtenſio ſeſſione I. habita XII. Kal. Majas an. MDCCXXV.

Ceremonial. lib. I. cap. XXXI. num. XIII. edit. Rom. an. 1727.

Raynal. contin. Annal. Baron. ad an. 1512.

Pag. 35. lin. 16. num. [*ol.* XIX.] *nunc* XXII. *poſt* loquitur *adde*

Quum evolverem MS. collectionem hiſtoriarum Paulli Magiſtri [*del Maſtro*] Lelii Petronii, Stephani Infeſſuræ didici ex Paullo, qui ſcribebat regnante Eugenio IV. an. MCCCCXLI. Romam adveniſſe *un Abbate di S. Antonio d'Egypto gran Signore dello Prete Janni cò forza* XII. *Monaci*: ac populo, & magnatibus comitantibus d. X. Octobris deſcendiſſe ad S. Laurentium in

Ex MS. Cod.

Damaſo. Poſt hæc ibi legi. *Lo dì ſeguente li fù* MOSTRATO *lo Sudario, e poi le Teſte, e quelle di S. Janni, & altre reliquie.*

Pag.36. lin.5. eod. num. poſt conſideret *adde* &, ubi fuerit evulgata, noſtram hiſtoriam baſilicæ S. M. trans Tyberim mox commemoratam pervolvat. Illic enim narrabimus oſtenſam fuiſſe ſingulari ratione venerabilem laudatæ Eccleſiæ ſupellectilem Reliquiarum per diverſa tempora aliis Principibus, & præcipuè an. MDCC. Magno Hetruriæ Duci Coſimo III. de quo varia ſequentibus numeris.

Pag. 39. lin. 23. num. [ol. XXI. *nunc]* XXIV. *poſt* Paulinus *adde*

Apud Gretſer. to. II. de Cruce Chriſti pag.89. & ſeqq.

Teſtis eſt etiam hujus oſtenſionis S. Sophronius hieroſolymitanus in homilia, quæ extat in ſanctæ Crucis exaltationem ſeu oſtenſionem, & indicat hanc peractam fuiſſe die II. Paſchatis: *Hodie procedit Reſurrectio, ſuaque proceſſione omnia exhilarat: craſtina Crux* MANIFESTATUR *(ἐμφανίζεται) adoratoribuſque ſuis munera largitur.* Sic homilia Sophroniana, quam integram excurres apud Gretſerum, & cujus nos hauſimus excerptum ex notationibus doctiſſimi P. Michaelis Le-quienii O. P. ad opera S. Johannis Damaſceni.

Lequien. not.1. ad voc. μεταν. pag. 750. to. I. oper. S. Johan. Damaſc. ubi de Paralellis huic tributis.

Pag. 41. poſt eundem num. legendum

XXV.

Quare ſollenniores oſtenſiones Romæ fiant paſchali tempore.

IN feſtivitatibus paſchalibus [ut mox aſſerui] præcipuè oſtenduntur Romæ ſacræ Reliquiæ. Quod intelligendum de generalibus oſten-

Digitized by Google

oſtenſionibus. Equidem I. die Paſchatis profe-runtur omnes in baſilicis Lateranenſi, ac Liberiana: II. in Vaticana. Prætereo quod tertia exponantur ſuper altare in baſilica S. Paulli via Hoſtienſi. Die VIII. monſtrantur apud baſilicam S. Mariæ trans Tyberim. Sequenti Dominica apud eccleſiam S. Rochi &c. Cur verò, quis inquiet, tanta lipſanon celebritas tali tempore? An credibile in ſuprema religionis arce id ſtabilitum ſine ratione? Nequaquam certè. Quin potiùs hæc (mihi ſaltem) nimiùm patula videtur. Scilicet æquum eſt omnium maximam ſollemnitatem hoc etiam catholici cultus honore præ ceteris decorari. Æquum, ut quicquid Chriſtus, ejuſque Electi reliquerunt in terris pretioſi eo tempore in ſignificationem gaudiorum eorumdem, noſtræque cum illis exultationis obtutui, & adorationi populorum exhibeantur, quo repræſentatur in Eccleſia victoria, ac triumphus Chriſti, & Sanctorum, nuptiale convivium Agni cum ſuis, ſanctæ beatitatis gloria, & communis cœlo, terræque lætitia. Ad hæc clariùs percipienda evoluantur, quæ circa ſacramenta, & dignitatem Paſchatis opportuniùs conglobavi in opuſculo *de Ritu variandi chorale indumentum in Sollemnitate Paſchali apud Clerum baſilicarum Urbis uſitato*. Evoluantur præterea, ſi placuerit, ordines romani Mabilloniani Benedicti Canonici, Cencii Camerarii &c. notationes Illuſtriſſ. Franciſci Blanchini ad Vitam S. Pii PP. to. II. Anaſtaſii editionis Vaticanæ, & narrata à nobis peramplè

** in

Parte III. *Sect.* IV. *a §. 2. ad* 15. in tractatione de *ritu Presbyterii &c.* typis propediem committenda, ex quibus coniicietur, cur celebritas oſtenſionum in Patriarchalibus ſuperiùs nominatim expreſſis ſub talibus diebus agi veroſimiliter cœperit.

Pag. 42. *lin.* 12. *num.* [*ol.* XXIII. *nunc*] XXVII. *poſt* conceſſeritque *adde*

Nec aliud ſubindicant conſtitutiones Lateranenſes allegandæ num. XLVIII.

Pag. 48. *lin.* 2. *eod. num. poſt* Infeſſuræ *adde*

Ad impetrandam pacem an. MCCCCLXXXIX. habitæ ſunt Leodii celebres oſtenſiones reliquiarum. Hiſtorias earumdem pervulgavit [præter *Chapeavill. to.* III. *pag.* 213. *& ſeqq.* Johannem Chapeavillæum in opere de geſtis Pontificum Tungrenſium, ac Leodienſium] Bzovius in annalibus. Oſtenſum præcipuè Caput S. Lamberti certa die. Verùm de hac oſtenſione inferiùs. Menſe Julio die x. quamplurimas reliquias ingenti pompa oſtendi curarunt Domini, Decani, & Capitulum Leodienſis eccleſiæ innixas cuidam tabernaculo, & ad altare delatas. Excerptum hiſtoriæ hujus ſacræ actionis offendes ad num. LXII. Junge & huic aliud exemplum conformis cauſſæ.

lin. 12. *poſt* patebit *adde*

Interim recenſe romanis extraordinariis, quæ fiunt in baſilica Lateranenſi, atque ita notantur *V. ord. Lateranens. pro ann.* 1728. *p.* 109. ſub calce ordinis divini officii quotannis imprimi ſoliti: *Item* [oſtenduntur Capita SS. Apoſtolorum] *quandocumque aliqua Confraternitas viſitat ſeptem eccleſias, vel noſtram tantùm, porrecto ſuppli-*

plici libello Reverendiſſimo Capitulo , quod ſolet annuere . Nihil addo circa ſimiles occaſiones oſtendendi Veronicam , & alia Domini pignora apud baſilicam Vaticanam .

*lin.*24. *num.* [*olim* XXIV. *nunc*] XXVIII. *poſt* completorium *adde*

Saltem ſingulis his horis fit oſtenſio generalis (de qua alibi) in baſilica S. Mariæ trans Tyberim

*Pag.*49. *lin.*1. *eod. num. ante* Aſſiſii *adde*

Id etiam Romæ exequimur aliquando. Vidi ègo, præſertim infra annos Jubilei, oſtenſum Domini Sudarium ſodalitiis noctu accedentibus ad S. Petrum mæſtis diebus hebdomadæ ſanctioris, quod accidiſſe frequentiſſimè ſacra nocte feriæ VI. in Paraſceve teſtatur Novidius his verſiculis, quibus diurnam ſimul oſtenſionem Dominicorum pignorum extantium apud baſilicam Seſſorianam, & nocturnam, diurnamque Veronicæ &c. pereleganter deſcribit in ſuis faſtis ad eam diem. *Ambroſ. Novid. Fraccus Sacr. Faſtor. lib.*III.

Cum Titulo INSPICITUR *clavus , ſertumque cruentum* :

Parſque Crucis , nomen , qua dedit illa loco .

VISITUR *& vultus face multa* : *templaq. Nautæ*

NOCTE *ſodalitiis , nobilibuſque patent .*

*lin.*3. *poſt* intelligantur *adde*

ſingulariùs

*Pag.*53. *lin.*27. *num.* [*ol.* XXVI. *Nunc*] XXX. *poſt* inibi *adde*

In civitate Pratenſi quotannis ſtata die oſtendi-

 tur

tur ampliſſimo ritu ſacrum B.V.Mariæ Cingulum e pegmate marmoreo conſtructo ponè, & extra cathedralem eccleſiam S. Stephani. V. ſuper hoc ritu, ejuſque antiquo more opuſculum italicum Joſephi Blanchini.

Bianchini notizie iſtor. della ſacra Cintola della B.V. M. che ſi conſerva in Prato cap. VIII.

*Pag.*55. *lin.*17. *num.* [*ol.*XXVII. *nunc*]XXXI. *poſt* aliiſque *adde*

aut erectis apſide ſub ipſa, quod obſervatur in præfata baſilica Apoſtolorum poſt completam ejuſdem renovationem.

*Pag.*56. *lin.*6. *eod. num. poſt* ſignificat *adde*

In celebri oſtenſione acta Leodii monſtratas ex altari reliquias comperimus legentes ejus hiſtoriam, de qua inferiùs.

Pag. 63. *lin.* 14. *num.* [*ol.* XXXII. *nunc*] XXXVI. *poſt* exercet *adde*

[veſperæ enim diei Paſchatis tum in baſilica S. Mariæ majoris, tum in eccleſia Lateranenſi ſunt Epiſcopales]

*Pag.*66. *lin.* 22. *num.*] *ol.* XXXIV. *nunc*] XXXVIII. *poſt* Veggii *adde*

& ſcriptione Turrigii de cryptis Vaticanis

Turrig. P. II. cap.V. pag. 201. edit. 2.

lin. 26. *poſt* aſcendiſſe *ſic tantùm leges*

& Veronicam, Lanceam &c. oſtendiſſe narrat.

*Pag.*74. *lin.*25. *num.* [*ol.* XXXVI. *nunc*] XL. *poſt* Græcorum *adde*

quamquam pro Græcanicis oſtenſionibus advertebam, quod alicubi ſedens Epiſcopus, & ſupra caput tenens S. Crucem, ita eamdem oſtendebat, ut colliges ex dicendis præcipuè numero poſtremo. Aliàs communiùs apud noſtrates oſten-

Digitized by Google

oſtendi ſolent reliquiæ ſtantibus, ac ſe circumquaque moventibus actionis miniſtris. *Circumeundo feretrum versùs navim, & versùs chorum* oſtenſionem egerunt Domini Leodienſes ann. MCCCCLXXXIX. V. hic num. LXII.

Pag. 87. *lin.* 3. *num.* [*ol.* XLIV. *nunc*] XLVIII. *poſt* religioſo *adde*

Ceterùm Romæ [accedente etiam authoritate Pontificum] aliquando expreſsè mandatum, ne cuicumque, & paſſim monſtrarentur ſacra lipſana. In conſtitutionibus Lateranenſis eccleſiæ confectis ab Archipresbytero, & approbatis per Gregorium XI. (de quibus latiùs nos in diſceptatione memorata jam ſupra ad num. XXV.) talia præſcribuntur: *Reliquiæ niſi ſtatutis temporibus ſine voluntate Vicarii, & Capituli nullatenus* OSTENDANTUR, *niſi alicui Cardinali, Prælato, vel Regali*. Hoc decretum, Benedicto XIII. confirmante, in conſtitutionibus baſilicæ noviſſimis inſtauratum eſt per hæc verba: OSTENDANTUR [ſacra lipſana] *tantùm ſtatutis temporibus*; *niſi fortè S. R. E. Cardinalibus, Principum Oratoribus, aut perſonis dignitate conſpicuis, ſemper tamen de licentia Capituli*.

Rubrica I. *de reliquiis, num.* XVII. *ap. to.* II. *Muſei ital. Mabillon.*

Eadem pag. e titulo marginali appoſito ad numerum [*ol.* XLVI. *nunc*] *L. deleas*

Aliqua de colore partium ejuſdem.

Pag. 89. *lin.* 12. *cod. num. nunc* L. *poſt* Epiſcopis *adde*

præcipuè

lin. ſequenti poſt diœceſibus *adde*

& ab

& ab habentibus uſum Pontificalium

lin. 15. *poſt* oſtenſione *adde*

ac ab oſtenſionibus Leodienſibus, quas require num. LVIII. & LXII. In baſilica Vaticana Canonicus oſtenſurus reliquias, ſi eſt Epiſcopus, depoſita mantelletta, quam vocant, ſtolam induit ſuper rocchettum. Apud eccleſiam Lateranenſem Epiſcopus, ſive Canonicus, ſive alius, qui veſperas cantavit juxta notata num. XXXVI. die generalis oſtenſionis, hanc exequitur actionem non depoſitis Pontificalibus albis indumentis. At in baſilica Liberiana eadem occaſione oſtendit reliquias Epiſcopus depoſito pluviali albo propter anguſtiam loci, & accepta ſtola coccinea.

lin. 20. *poſt* conſtabit *adde*

Miniſtri *habitu ornatiſsimo* præcincti oſtendiſſe feruntur reliquias in cit. documentis Leodienſibus.

Eadem linea, quæ ſequuntur idem verb. conſtabit *poſthac ita cum aliis convenientiùs comprehendes ſub peculiari numero*

LI.

Aliqua de colore partium ejuſd. habitus.

COLOR ſive ſtolæ, ſive pluvialis, aut alius ſerici veſtimenti ab oſtendentibus adhibiti aptari debet qualitati reliquiarum. Romæ ſtatis oſtenſionibus communiùs utimur rubeo colore, quia major ſanctorum lipſanon pars è Martyrum oſſibus componitur. Communiùs ajebam; nam [quod conſultò notatum eſt num. præcedenti] indumentis albis Pontificalibus etiam utitur Epiſcopus monſtraturus in baſilica Lateranenſi. De re-

reliquo morem romanum communiorem nullus jure carpere auſerit, cui occultum non ſit ſemper in Eccleſia illuſtriorem, notioremque portionem Sanctorum fuiſſe Martyres reputatos; propterea que ſupra ceteros aliqua honoris ſingularioris nota diſtinctos. Hac autem in re catholici Præſides divinas (ita loqui liceat) conſuetudines ſunt imitati. Quandoquidem Deus ipſe, quum univerſitatem Sanctorum ſuorum hominibus per imagines ex alto immiſſas innoteſci voluit, Martyres utplurimùm expreſſit tantùm. Sic B. Johannes Apoſtolus aperiens nobis revelatum ſibi judicium, & regnum Sanctorum memoravit unicè *animas decollatorum* cum Chriſto regnantium, ac judicantium. Sic S. Perpetua Africanæ decus Eccleſiæ introducta in adytum Paradiſi vidit ibi ſolos Martyres, ut notat Tertullianus, ne allegem acta, quæ præter Ruinartum illuſtravit noviſſimè, dum à cavillationibus Samuelis Baſnagii vindicavit, clariſs. P. Joſephus Auguſtinus Orſi. Sed videantur obſervationes alibi laudati Epiſcopi Meldenſis ad cit. caput Apocalypſeos.

Apocalypſ. xx. 4.

Tertull. lib. de anim. cap. 22.

Acta S. Perpet. & Socc. ap. Ruinart & Orſum in ear. vindic.

Boſſuet explicat. del' apocal.

Pag. 91. *lin.* 3. *num.* [*ol.* XLVIII. *nunc*] LIII. *poſt* inſpicienda *lege*

ſi non agatur de generalibus oſtenſionibus Sanctorum diverſi gradus in Eccleſia, quibus congruunt, quæ illic diximus.

lin. 21. *num.* [*ol.* L. *nunc*] LV. *poſt* Epiſcopi *adde*

ſiqui in Patriarchalibus eccleſiis poſt cantatas veſperas oſtendunt, &

Pag.

Pag.92. lin. 5. num. [ol. LI. *nunc]* LVI. *poſt* brachia *adde*

ſeu indumentum

lin.25. poſt cenſerem *adde*

Præſuli oſtendenti Crucem Domini apud Græcos Diaconum, & Subdiaconum ſacris habitibus ornatos miniſtraſſe adprehendimus ex uſu Græcorum moſcho deſcribendo ad extremum numerum, & notabimus num. LVII. ſimile aliquid geſtum in oſtenſione Leodienſi celebrata per Abbatem Stabulenſem. Ceterùm

Pag.94. lin.17. num. [ol. LIII. *nunc]* LVIII. *poſt* Magni Ducis *adde*

Nec ignorandum ejuſmodi ordinem authoritate Apoſtolica fuiſſe ſtabilitum. Urbanus VIII. in Brevi (de quo infra) Indulgentiæ plenariæ conceſſæ adſtantibus oſtenſioni ſacratiorum Domini pignorum apud baſilicam Vaticanam *volentes* inquit *& diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandantes dilectis filiis Capitulo, & Canonicis ejuſdem baſilicæ, ut perpetuis futuris temporibus in feſto Inventionis S. Crucis die* III. *Maii, ac etiam aliis diebus, quibus juxta baſilicæ conſuetudinem Sacræ Imaginis, & ferri Lanceæ, ſeu alterius reliquiæ populo adorandæ* OSTENDUNTUR, *de cetero ferri* PRIMUM : DEINDE *Crucis* : POSTREMÒ *ſacræ Imaginis reliquiæ* OSTENDI *debeant*. Verùm circa expoſitas preces advertendum, quod

Ap. Olymp. Riccium in opuſc. infr. citan.

lin. 22. poſt in Pontificali romano *adde*

Neque deſtituimur exemplis aliarum oſtenſionum,

num, quibus ritus dicendi varias precationes, & agendi *confeſſionem* his opportunitatibus non inſuetus appareat in Eccleſia. Bzovius ad multoties memoratum annum MCCCCLXXXIX. profert verba ſcriptoris ſynchroni enarrantis hiſtoriam viſitationis feretri S. Lamberti Epiſcopi, & aliarum reliquiarum, necnon proceſſionis cum Capite ejuſdem Sancti ad pacem implorandam actæ (ni fallor) die anniverſaria translationis pretioſæ glebæ e vico Trajectenſi ad Civitatem Leodienſem ſub hujus Præſule primo, poſtremo Tungrenſis Huberto. Ex hac hiſtoria colligimus habitam ſimul celeberrimam oſtenſionem, cujus ſummam tene in ſequenti fragmento teſtante quod aſſerimus, & non modicè alias opuſculi partes dilucidante. *Gaſpar Abbas Stabulenſis cum miniſtris mitra, & baculo ornatus proceſſit: Eo dehinc modeſto gradu cum luminibus, & thuribulis locum, in quo Martyr glorioſiſſimus* [Lambertus] *quieſcit, cum eiſdem miniſtris aſcendente,* TRACTUM *illum devotiſſimum* adjuva nos Deus *in templi medio D. Cantor cum duobus Canonicis genuflexi exorſi ſunt. Hunc Clerus proſequitur: tunc ſternuntur univerſi: oritur ſilentium ....* Sequitur quod habita fuerit idiomate gallico Oratio pro declaranda cauſa ſollemnitatis: inde: *Fit deinceps generalis peccatorum* CONFESSIO: *Abbas abſolutionem confert Clero, & populo genua flectentibus, & vice verſa Clerus eidem; & continuò per Abbatem,* DIACONUM, *&* SUBDIACONUM *illud ſemper honorandum, & populo tantopere ex-*

Bzov. Annal. Contin. to. XIX *p.*307. *n.* XIII.

expetitum Caput de tumba aſſumitur, omnibuſque continuò DEMONSTRATUR. *Quo facto cunctorum* COMMOTA *ſunt viſcera: corda* TREMUERUNT: *& nemo tam ferrei pectoris, qui non fuerit commotus ad* LACRYMAS: *illamque extemplo Antiphonam* lætare & lauda &c. *univerſus Clerus genibus provolutus* CECINERUNT. *Quo facto Abbas & versùs* OCCIDENTEM, *& versùs* ORIENTEM *venerando populum Capite* SIGNAVIT; *ad altare defert: miſſæ officium devotus exequitur.* Subinde narrat ſcriptor ſupplicationem factam cum aliis reliquiis, ac poſt omnia delationem *Capitis cum reliquiis ad altare*, & receſſum *Cleri*. Dein addit: *Statim oſtia chori lateralia ſunt aperta. Duo Dominorum, & Beneficiatorum totidem ad digniſſimi Capitis cuſtodiam deputantur, qui accurrenti ipſi* EXHIBERENT *populo intuendum*. Jungitur mentio MULTITUDINIS *immenſæ* populi, ac ſerotinæ tranſportationis ſacri pignoris ad conſuetum lipſanon receptaculum. Jamque de his nimiùm.

Pag. 95. *lin.* 4. *num.* [*ol.* LIV. *nunc*] LIX. *poſt* mos *adde*

[quem recognoſces primò in ceremonia oſtenſionis Capitis S. Lamberti deſcripta numero præcedenti] fuit

Pag. 103. *lin.* 10. *num.* [*ol.* LVII. *nunc*] LXII *poſt* latinè *adde*

Pleraque ex dictis circa ejuſmodi uſum, ac præcones robur, & exemplar acquirunt à narratione aliàs commemoratæ oſtenſionis Leodienſis

diei

diei x. Julii an. MCCCCLXXXIX. quam tandem volo hic ex parte ſubnectere etiam aliis daturam firmitatem. Supra citatus Bzovius poſt hiſtoriam oſtenſionis, cujus excerptum prolatum eſt num. LVIII. aliam narrandam aggreditur: reliquiarum ſcilicet delatarum ad altare, & quoddam tabernaculum infra Leodienſem baſilicam. *Officio completo*, inquit per verba authoris coætanei, *populis illic ad pulſum campanæ* .... *congregatis per duos de eccleſia majori* ORNATISSIMO HABITU *fulcitos publicè* OSTENSÆ [fuerunt ſac. reliquiæ] *ac per duos religioſos, & devotos viros ſimili* ORNAMENTO *decoratos gallicè, & theutonicè* PRONUNCIATÆ, *& deſignatæ. Quæ quidem oſtenſio ſingulis diebus ſubſequentibus, paucis propter guerrarum inſultus, & alias cauſas exceptis, fuit continuata uſque ad feſtum B. M. Magdalenæ incluſivè, in qua die fuit habita miſſa ſolemnis ſpecialis cum toto Clero Civitatis, quam celebravit R. P. Abbas S. Jacobi Leodienſis, cuique etiam interfuerunt Stabulenſis, & S. Laurentii Abbates, qui poſt miſſarum, & proceſſionis ſolitæ ſolemnia omnes tres ſimul in* PONTIFICALIBUS *ſanctiſſimas reliquias ſucceſſivè primò versùs navim eccleſiæ vulgo, & deinde* CIRCUMEUNDO *feretrum versùs chorum Clero illic propter vulgi inæſtimabilem, inviſam, inauditamque* PRESSURAM, *& multitudinem congregato pro ultima vice* OSTENDERUNT. Proſequitur ſermo de iiſdem translatis ad loca propria, omniumque diſceſſu. Vides præſertim ex allato textu, quod

Bzov. cit. to. & num. XIII. p. 310.

lin. 27. *poſt* ibi *adde*

Ejuſmodi indicationes peractas aliquando digito comitum, ſeu adjutorum Miniſtri oſtenſionum ſatis inſinuat figuræ Græco-moſchæ deſcriptio requirenda extremis verſibus hujus diſſertationis.

Pag. 105. *lin.* 27. *num.* [*ol.* LVII. *nunc*] LXIII. *poſt* adhortari *adde*

Lætos cantus adhibitos in oſtenſione Capitis S. Lamberti. vide ad num. LVIII.

Pag. 109. *lin.* 6. *num.* [*ol.* LX. *nunc*] LXV. *poſt* Ducem *adde*

Romæ, & per Abbatem Stabulenſem geſtæ Leodii.

lin. 9. *poſt* caret *adde*

[niſi forte ſuſpiceris myſterio vacuas non eſſe benedictiones ſignatas ad quatuor mundi plagas, ſive tantùm ad Occidentem, & Orientem]

Ead. pag. poſt eumd. num. adde

LXVI.

Qui interſunt genuflectunt ad benedictioné; licet reliquo tempore oſtenſionum ſteterint, aut ſederint. De his uſibus pauca obiter.

UBI, prolatis ſacratioribus pignoribus, tales benedictiones immineant, quotquot interſunt genuflectunt, ſi aut ſederint, aut ſteterint ad oſtenſiones diuturniores. Ipſe vidi ſæpè Cardinalem Titularem S. M. trans Tyberim, & baſilicæ Capitulum, & Clerum ſedentes in choro, ac venerantes debitis inclinationibus ſingulas reliquias eductas quotannis ſtata die (de qua num. XXV.) at genuflectentes cum omni populo, apparente Dominicæ Crucis particula, qua cum tandem fit ſollemnis benedictio. Idipſum agi ſuſpexi in baſilicis Patriarchalibus S. Johannis, & S. Ma-

& S. Mariæ majoris diebus paſchalibus generali oſtenſioni (ut monui eod. num.) aſsignatis per Capitulum, & Clerum earumdem, & aliquot Cardinales, qui illuc accurrant; ſicuti accurrunt ſimili occaſione ad eccleſiam Vaticanam, apud quam tamen (quum oſtenſio fiat extra locum chori) ſtantes cum Canonicis, & Clero venerantur primò numeroſius agmen reliquiarum: inde genuflexi adorant Domini pignora, excipiuntque benedictionem Crucis. Aliàs in brevibus oſtenſionibus, ſiqui interſint, cujuſcumque ſint dignitatis, ab initio functionis ſolent genuflectere. Quære ad num. XXXIV. (ne memorem cetera) exemplum pontificii Senatus petitum ex fragmento ephemeridum toties laudati Candidi Caſsina. Hæc praxis tum antiqua, tum recens communior in Eccleſia. Apud Græco-moſchos nihilominùs Epiſcopus oſtendens ſeu exaltans Crucem ſedebat, uti & Principes ſupremi, ſtantibus reliquo Clero, & populo, ſi fides tabulæ, quam brevibus deſcribam poſtremo numero. An hic verò fuerit omnium ſtatus quando incipiebat benedictio, ſcrutentur alii. Benedicendi uſum apud Græcos innui num. proximiore.

Pag. 117. *lin.* 30. *num.* [*ol.* LXVII. *nunc*] LXXIII. *poſt* computatur *adde*

Ludovicus Rex Hungariæ, armis vindicata ſibi Regni Neapolitani dominatione, ſub anno Jubilei, & Pontifice Bonifacio IX. (quod refert Volaterranus.) *religionis gratia* aliquandiu Romæ commorans *quotidie Veronicam* VISERE *voluit.* *Raphael Volater. Commentarior. Urbanor. lib.* VIII. *ubi de Pannonia.*

Pag. 118. *lin.* 9. *eod. num. poſt* diariis *adde*
Anno MCCCCXCV. Carolus VIII. Rex Francorum (teſte D. de Guazzo apud Turrigium) Romam ingreſſus viſitavit eccleſiam Vaticanam, unàque petiit ſibi oſtendi Chriſti Sudarium, quod genus obſequii veroſimiliter præſtitit Lateranenſi baſilicæ, & Capitibus Apoſtolorum.

Turrig. Grotte Vatic. p. II. cap. IX.

lin. 14. *poſt* commendatum *adde*
De interventu magnorum Principum ad Græcomoſchas Crucis oſtenſiones fidem facient, quæ trademus ultimo numero.

lin. 24. *poſt* Chiappono *adde*
In Ceremoniali Pſeudo-marcelli ſeu recentiore Romanæ Eccleſiæ, ubi de Papa ad S. Petrum celebrante, ac inde cum univerſis ordinibus procedente ad locum dandæ benedictionis ipſo mane Sollemnitatis Paſchalis, ſic notatur: *Vadunt ad locum benedictionis publicæ per viam ultimæ navis, in qua firmat ſe ad* VIDENDUM *Vultum Sanctum: deinde aſcendit ad locum benedictionis.* Apud baſilicam Lateranenſem quoties agitur Cappella, ut ajunt, papalis, oſtenduntur Papæ, ac ceteris Capita Apoſtolorum. Quamplurima ſuppeditabunt exempla annales Pontificatus Benedicti XIII. præfatæ eccleſiæ cultoris eximii. Quin ex catalogo dierum oſtenſionum eorumdem ſacrorum lipſanon impreſſo ad calcem ordinis jam cit. ſub num. XXVII. accipimus, quod oſtendantur *quandocumque Papa viſitat ſacroſ. eccleſiam Lateranenſem.* Sunt ejuſmodi conſuetudines conſectaria vetuſtiorum, quod ſaltem

Cerem. Rom. eccl. lib. II. ſect. 2. c. I. de feſto Paſch.

ſpe-

ſpectat oſtenſiones Lateranenſes poſt papales publicas, ſollemneſque actiones. Petrus Amelius clarus author ſeculi XIV. enarrata functione ſollemnitatis Corporis Chriſti acta Lateranis per Gregorium XI. annuentem votis Canonicorum baſilicæ, ait:

Largita benedictione ſolemni, & ſeptennali indulgentia

OSTENSA *Apoſtolorum capita, turba repatriat cum lætitia.*

Amel. ap. Papyr. Maſſonum lib. VI. de Epiſcop. Vrbis in Greg. XI.

Ita Amelius in itinerario laudati Pontificis. S. Pio V. ſollemni acta univerſi Cleri ſupplicatione ab eccleſia S. Marci ad Lateranenſem A. D. MDLXVI. d. 14. Julii oſtenſa Apoſtolorum Capita tradit Cornel. Firmanus Cæremoniarius pontificius. Occaſionem ſacræ actioni dedit bellum ea tempeſtate cum Othomannis geſtum. Haud taceam inſuper quod S. R. Eccleſiæ Cardinales adſtant [*cum reliquis vulgatis*]

Firman. in MS. diario.

lin. ult. poſt. allatus *adde*

De concurſu Cardinalium ad oſtenſiones vide num LXVI. Ceterorum vero Principum ſeu magnatum alia recentia paradigmata diſperſa invenies per totum opuſculum.

Pag. 120. *lin.* 1. *num.* [*ol.* LXVIII. *nunc*] LXXIV. *ante* Anno *adde*

Quam commota fuerint, & excitata ad ſanctum timorem, & lacrymas viſcera populorum, qui accurrerunt ad oſtenſionem Capitis S. Lamberti Leodienſem monebit repetita lectio narratorum ſæpecitato numero LVIII.

Pag.

Pag. 127. *lin.* 11. *num.* [*ol.* LXXII. *nunc*] LXXVIII. *poſt* loco *adde*

Olymp. Ricci diſcorſo del Giubileo &c.

Quin etiam videas opuſculum italicum Riccii de Jubileo univerſali an. MDCLXXV. impreſſum, quo narratur Urbanum VIII. auxiſſe ſingulari portione Dominicæ Crucis lipſanothecam S. Petri, eamque cum aliis reliquiis fuiſſe translatam ad Odeum noviter ædificatum. Additam poſt hæc tradit author conceſſionem plenariæ remiſſionis obtinendæ ab adſtantibus oſtenſioni celebriorum Chriſti pignorum ſtatutis temporibus. Id vero affirmat ſancitum an. MDCXXIX. d. IX. Aprilis per Breve, cujus promit excerptum jam a nobis aliqua ex parte datum num. LVII.

Pag. 134. *lin.* 21. *num.* [*ol.* LXXV. *nunc*] LXXXI *poſt* conſtitutiones *adde*

Jungere fortaſſe hic poſſem ſtabilita in conſtitutionibus Lateranenſis Capituli, de quibus ſupra num. XLIX.

Pag. 136. *lin.* 5. *numero extremo ante* denique *adde*

Bolland. continuat. in præfat. ad to. 1. Maii p. XXXVIIII.

Nec multos latebit apud collectionem Bollandianam in ephemeridibus Cræco-moſchas feſtivitates referentibus per tabulas earumdem diebus reſpondentes extare ad diem XVI. Auguſti figuram Angeli offerentis ſpectantium oculis *achiropetam* Domini imaginem cum lemmate per Poſſevinum, aliumve ita declarato: *Memoria imaginis Chriſti non manufactæ*. Et quoniam ſacros hoſce faſtos commemoravimus non ſilendum, quod ibi oſtenſio ſeu exaltatio S. Crucis

Ibid. p. XXXXIII.

cele-

celebrari ſolita die XIV. Septembris in tabula hujus menſis graphicè delineata conſpiciatur ſub figura 14. cujus deſcriptionem facit his verbis Le-brun to. II. al. cit. explicationis Miſſæ, dum profert nonnullas figuras ob cauſas a propoſito noſtro longè diverſas : *On y voit l'Eveque qui trient la Croix elevèe* [ſupra caput] *ajant a ſes cotez un Diacre, & un Soudiacre en preſence du Gran-duc* [Moſchorum] *& ſon Epouſe*. Hæc ille cum aliis ad nos minimè pertinentibus, qui tamen propter dicta ſuperiùs ſparſim advertendum cenſemus illic repræſentari ſedentem Antiſtitem detecto capite : ſedentes itidem Principes ſuper excelſo ſolio, ac diademate ornatos : ſtantes verò [præter turbam reliquam] Diaconum, & Subdiaconum digitis Crucem indicantes, ſublevanteſque manu ſacrum oſtendentis indumentum.

Le-brun. to. II. diſſert. VI. art. V. num. 13. pag. 447.

Alia corrigenda in Diſſertatione.

In præfat. ad Lector. verſu 2. ſecutus *lege* ſecutis *Pagina* 14. *verſu* 28. exuviæ *lege* exuvias *Pagina* 30. *verſu* 18. Maria *lege* Mariæ *Pagina* 85. *verſu* 21. accurati hiſtorici *lege* accuratum hiſtoricum.

ROMÆ, Anno Domini MDCCXXXII.

NO-

NOTITIA

Aliorum Operum ab Authore edendorum.

I. Cæptum hortatu R.P.D. Proſperi de Lambertinis nunc S. R. E. Cardinalis ampliſſimi, abſolutum jam ab an. 1726. & prœlo paratum titulum habet.

Ritus Presbyterii explanatus. Sive de conſuetudine romana dandi Papæ, Cardinalibus, & nonnullarum eccleſiarum Clericis ſpeciem præſtationis Presbyterium nuncupatam. Diſſertatio.

II. Magna ex parte abſolutum ſic inſcribitur.

Hiſtoria inſignis Baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim in quinque peramplas diſquiſitiones diſtributa.

III. *De Hierarchia Cleri Urbis ſacro Cardinalium collegio, & ſcholis palatinis inferioris libri quatuor.*

IV. *Diſſertatio de origine, & uſu Manti papalis.*

V. *Theſaurus Scriptorum ritualium. Sive Collectio Opuſculorum ſingulares Ritus Eccleſiæ elucidantium.*

De his ideò certiores reddi placuit eruditos Lectores, ut, ſiquid in ſcriniis ſervaverint talibus illuſtrandis argumentis aptum, Authori benignè communicent publicam ab eodem accepturi grati animi teſtificationem.

(05 2000071

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google